


UB Düsseldorf

+4145 162 01

EPISTOLÆ
S. AMBROSII
EPISCOPI MEDIOLANENSIS
AD PRINCIPES,
ALMÆ CONGREGATIONI ELECTORALI
B. V. MARIÆ
AB
ANGELO SALUTATÆ
IN STRENAM OBLATÆ.
ANNO MDCCLXXXVII.
PARS I.

DUSSELDORPII,
Typis Francisci Friderici Stahl, Aulæ & Cancellariæ Typographi.

Historisches Museum
der Stadt
Magdeburg

H. M. V, 158

LECTOR BENEVOLE.

Plures hodie tum occultis, tum manifeſtis ſtudiis & deſiderare & agere noscuntur, ut eccleſiæ Chriſti antiqua ſua primorum ſeculorum facies redeat: non quidem, puto, ea, quæ ſeveram ſeu pœnitentiæ ſeu cultus divini disciplinam ſpectat, ſed quæ quandam ejus ſubjectionem præ ſe ſert regibus terrenis vendicandam. Num omni ex parte æqua, aut digeſta ſatis hæc ſtudia eorum ſint, videant alii: nobis abſtinendum a quacunque eorum cenſura ducimus. Cum vero & nos priſtinam eccleſiæ faciem in monumentis Patrum, genuina certe ejus effigia monſtrantibus & intuiti ſæpe fuerimus, & amore deſiderioque ejus capti: dare voluimus ex iisdem ſpecimen quoddam, unde ſinceri veritatis

ſcru-

ſcrutatores eccleſiæ veteris formam, & eos mores, de quibus potiſſima hodie quæſtio agitatur, ſine metu deceptionis cognoſcere poſſint.

Selegimus Ambroſii inter Patres celeberrimi epiſtolas, quas ad Auguſtos principes ſcripſit: textum earum correctiſſimum notis exegeticis, quantum ad inoffenſam lectionem ſatis videbatur, illuſtravimus: criticas vero tibi, lector benevole, reliquimus; qui, ſi opellam hanc noſtram aſſenſu comprobaveris tuo, ſimilia ex aliis Patribus ſpecimina ſuo tempore manibus tuis offeremus.

Sed cum ſine notitia perſonæ & temporis ſcripta authoris vix intelligi poſſint, eam hic breviter ex Paulino potiſſimum, qui Ambroſii amanuenſis fuit, ejusque defuncti vitam literis mandavit, tuæ memoriæ ſuggerendam cenſuimus.

Natus

Natus Ambroſius eſt Patre cognomine, cive romano in adminiſtratione præfecturæ Galliarnm Treviris exiſtente, anno imperii Conſtantini M. vigeſimo octavo, qui fuit æræ chriſtianæ 333. Adolescens Romæ literis humanioribus excultus maximos progreſſus in Philoſophia & Rhetorica fecit. Urbe ſubin egreſſus cauſas in auditorio Præfecti Prætorii agere cœpit; id quod tanta cum laude præſtitit, ut Prætorio Præfectus Anicius Probus eum ad danda conſilia adhiberet; & aliquibus poſt annis ornatum inſignibus conſularibus Liguriæ & Aemiliæ provinciis rectorem præficeret.

Quinquennio poſt, anno nempe 374, mortuo Auxentio arianæ perfidiæ epiſcopo, qui multis annis eccleſiæ mediolanenſi incubabat, cum populus ob electionem novi epiſcopi in partes diſtractus bella civilia moliri videretur,

deretur, Ambroſius ad eccleſiam pergit, & populum ad concordiam hortatur. Tum vox fertur iuſantis in populo inſonuiſſe: Ambroſium epiſcopum; ad cujus vocis ſonum omnis populus converſus acclamat quoque: Ambroſium epiſcopum. Ita contigit, ut, qui ante turbulentiſſime diſſidebant, quia & Ariani ſibi, & Catholici ſibi epiſcopum cupiebant, ſuperatis alterutris, in hunc unum adhuc catechumenum mirabili concordia conſenſerint. His cognitis Ambroſius artibus utitur multiplicibus, ut populum ab hac cogitatione avertat: verum Deo diſponente omnibus fruſtratus, ipſoque Valentiniano Imperatore, qui a civibus per legationem id oratus fuerat, urgente, conſentit demum, baptizatur, & impletis omnibus eccleſiaſticis officiis octavo poſt die epiſcopus ordinatur.

Paucis poſt diebus, cum liberius apud

Im-

Imperatorem, ut refert Theodoretus (a), *verba faceret, resque nonnullas tanquam minus recte à Magiſtratibus adminiſtratas argueret, reſpondit Imperator: novi jam pridem tuam in loquendo libertatem, qua explorate cognita, non modo tuæ ordinationi non reſtiti, verum etiam ſuffragatus ſum; quare, ſicut divina præſcr ibit Lex, noſtrorum animorum erratis medicinam adhibe. De reliquis vero virtutibus hujus ſanctiſſimi præſulis, quibus gregi ſuo, imo toti orbi prœluxit, hic plura diſſerere ſuperſedeo, cum & orbi notiſſimæ ſint, & ad intelligendas ejus epiſtolas, quas exhibemus, non neceſſario explicandæ videantur. Interim hoc tamen ſilentio minime prætereundum, quod primus ad exemplum romanæ eccleſiæ mona-*

(a) L. 4. c. 6.

monaſterium, uti Auguſtinus refert (b), in eccleſia mediolanensi exſtruxerit in ſuburbano, quodque Novatianos & Arianos hæreticos omni modo a ſua removere eccleſia ſtuduerit, Simplicianumque ſanctitate & doctrina inſignem presbyterum a S. Damaſo ſibi Roma miſſum (c) ut patrem ſemper coluerit, & ut magiſtrum obſervaverit.

Anno ordinationem ſancti Epiſcopi ſequente in expeditione adverſus Quados ex rupta pectoris vena Valentinianus moritur, & Gratianus, ejus ex Severa filius, Occidentis Imperium ſuſcipit, fratremque puerum Valentinianum imperii conſortem admittit.

Sub ea tempora orientali Imperio, cui Valens amborum patruus præerat, exitium minitabatur Athanaricus Gothorum Rex, contra

(b) L. 1. de morib. eccleſ. c. 33.

(c) Idem L. 8. confeſſ. c. 2.

contra quem pugnaturus Gratianus armatura etiam Dei, ab Ambroſio petiit, ut ad ſe de fide orthodoxa libellum ſcriberet. Paruit is lubentiſſime, & loco unius, quinque conſcripſit. Nec fefellit religioſiſſimum principem ſua ſpes, quam de victoria hoſtium ex religione conceperat: ſiquidem anno ſequenti, qui fuit 378, eos ad internecionem delevit. Non pari eventu Valens arianæ fautor inſolentiæ pugnavit: profligatus enim a Gothis cum pago, quo ſe ſaucius ex prælio contulerat, vivus a Barbaris exuſtus eſt.

Tum Gratianus orientali imperio conſulturus Theodoſium præſtantem bello, & ſpectatæ virtutis virum eò cum cæſarea poteſtate mittit, qui brevi gentem Gothorum eo adegit, ut ſe totam Romanis traderet. Verum ex altera parte Maximus, qui, ut Zoſi-

mus

mus ait (d), *Theodoſii Principis in Britannia Commilito fuerat, moleſte ferens, hunc quidem dignum imperio habitum, ſe vero ad nullum honorificum magiſtratum pervenisſe, concitatione militari arripit Imperium, occiditque ſibi reſiſtere conantem Gratianum. Tum Valentinianus adolescens imbellis ſublato fratris præſidio ſocium imperii in Britanniis, Galliis, & Hiſpaniis Maximum, pace per Ambroſium compoſita, agnoscit; quod ut à Theodoſio quoque obtineret Maximus, legatione ipſum quidem interpellavit: verum nihil præter ſpem bonam elicere potuit.*

Interea Valentinianus a matre ſua ariana ſtimulatus plurimis vexat Ambroſium, uti ex epiſtolis præſentibus ſatis patet. In qua perſecutione, ut ſe plebemque ſuam conſolaretur ſanctus episcopus, antiphonas, hym-

(d) L. 4. §. 35.

hymnos a ſe compoſitos, ac vigilias in eccleſiam mediolanenſem primum induxit. Quæ devotionis celebritas ſubin ad omnes eccleſias Occidentis promanavit. Per idem tempus etiam S.S Gervaſii & Protaſii corpora, revelatione ab ipſis accepta, invenit, publicisque honoribus in lecticis expoſuit; ad quorum contactum multorum ſanatæ ægritudines ſunt, & dæmonia ex obſeſſis pulſa. Sed devicto poſtea Maximo per Theodoſium, Valentinianus & Ambroſio & eccleſiæ ejusdem victoris opera reconciliatus fuit. Quas vero cauſas ſucceſſu temporis cum ipſo Theodoſio ſanctus præſul habuit, epiſtolæ poſteriores abunde explicant.

Anno 392 rurſum præeunte Symmacho gentiles ſenatores adeunt Valentinianum Viennæ in Gallia commorantem, ut aram Victoriæ, ſumptusque cæremoniarum re-

reſtituat: verum ab offenſo repulſam patiuntur. Tum Arbogaſtes Comes, factione cum Eugenio Magiſtro ſcriniorum inita, manu cubiculariorum eunuchorum Valentiniano gulam frangit, ipſumque Eugenium Imperatorem declarat. (e) Hujus Eugenii, cum gentilibus petita à Valentiniano concederet, conſcientiam Ambroſius itidem epiſtola convenit; at declinans aſpectum, ceu ſacrilegi, Florentiam peregrinatur. Sed eo paulo poſt etiam à Theodoſio victo, & a propriis ſatellitibus obtruncato, ad eccleſiam ſuam redit, eamque in quiete poſt hæc regit ad annum 397, qui fuit tertius imperii Arcadii & Honorii: quo demum laboribus ſacris exhauſtus migravit ad Dominum in ipſo Sabatho ſancto, cum eſſet annorum 64, [& ſediſſet annos 22, menſes fere quatuor.

(e) Socrat. l. 5. c. 25.

ARGUMENTUM PRIMÆ EPISTOLÆ.

Magna Valentinianum Auguſtum auctoritate compellat, ne deorum aras, quod gentiles efflagitabant, in Dei blaſphemiam in eccleſiæ contemptum & ſuorum injuriam majorum ullatenus inſtaurari decernat (1)

Beatiſſimo Principi & Chriſtianiſſimo imperatori Valentiniano (2)

Ambroſius Epiſcopus.

Cum omnes homines, qui ſub ditione Romana ſunt, vobis (3) militent im-

(1) *Data eſt epiſtola anno æræ Chriſtianæ* 384. *imperii vero Valentiniani nono.*

(2) *Juniori, Valentiniani Senioris filio, tertio imperii ſui anno, ex Juſtina ariana ſecunda uxore nato.*

(3) *Theodoſium Seniorem in Oriente tum temporis imperantem ſimul indigitat.*

peratoribus terrarum, atque principibus, tum ipſi vos omnipotenti Deo & ſacræ fidei militatis. Aliter enim ſalus tuta eſſe non poterit, niſi unusquisque Deum verum, hoc eſt Deum Chriſtianorum, a quo cuncta reguntur, (ipſe enim ſolus verus eſt Deus) intima mente veneretur: *Dii* enim *gentium dæmonia*, ſicut ſcriptura dicit. Huic igitur Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non diſſimulationem, non conniventiam, ſed fidei ſtudium & devotionnis impendit. Poſtremo ſi non iſta, (4) conſenſum ſaltem aliquem non debet colendis idolis & profanis cæremoniarum cultibus exhi-

(4) *Supple: impendit, nempe ſtudium fidei & devotionis; id eſt: Si diſſimulat, & connivet.*

exhibere: nemo enim Deum fallit, cui omnia, etiam cordis occulta manifeſta ſunt. Ergo cum â te, imperator chriſtianiſſime! fides Deo vero ſit exhibenda, cum ipſius fidei ſtudium, cautio atque devotio (5), miror, qnomodo aliquibus in ſpem venerit, quod debeas aras diis gentium tuo inſtaurare præcepto, ad uſus quoque ſacrificiorum profanorum præbere ſumptum: quod enim jam dudum vel fisco vel arcæ eſt vindicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de ſuo reddere. (6) Et de diſpendiis queruntur, qui nunquam noſtro ſanguini pepercerunt, qui ip-

(5) *Supple: ſit a te exhibenda,*

(6) *Quia redditus in ſacrificia olim aſſignati per decreta Joviani pridem & Gratiani, ſacerdotibus gentilium ablati, eorum amplius non erant.*

ſa Eccleſiarum ædificia ſubruerunt. Petunt etiam, ut illis privilegia (7) deferas, qui loquendi & docendi noſtris communem uſum Juliani lege (8) proxime denegarunt: & privilegia illa, quibus ſæpe decepti ſunt etiam chriſtiani; nonnullos enim illis privilegiis partim per imprudentiam, partim propter publicarum neceſſitatum moleſtias declinandas

(7) *Qualia aut confirmaverat aut conceſſerat incautus Valentinianus: nempe* aruſpicinam exercendi, immunitatis *a laboribus publicis, & ab iis injuriis, quas honoratos non decet ſuſtinere*, honoris, *qui excomitibus ſolet exhiberi. Hæc habentur in L. 9. de Malef. & Math. & L. 75. de decurion. C. Theod.* item, *ut liberum eſſet cuique, quid vellet, deorum ſacerdotibus teſtamento relinquere.*

(8) *De qua Lege dicit Ammianus licet ethnicus L. 25:* erat inclemens, quod docere vetuit magiſtros rhetoricos & grammaticos Chriſtianos.

das irretire voluerunt, & quia non omnes fortes inveniuntur, etiam ſub principibus chriſtianis plerique ſunt lapſi. Sed hæc ſi jam ſublata non eſſent, auferenda tuo imperio comprobarem: at cum per totum fere orbem a pluribus retro principibus inhibita interdictaque ſint, Romæ autem, â fratre clementiæ tuæ auguſtæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione ſublata ſint, & datis antiquata reſcriptis: ne quæſo, vel fideliter ſtatuta convellas, vel fraterna præcepta reſcindas. De negotiis civilibus ſiquid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum: præceptum de religione calcatur? nullus obrepat juniori ætati tuæ: (9) ſive ille gentilis eſt, qui iſta depoſcit, non de-

9) *Erat tum* 18 *annorum;*

bet mentem tuam vinculis ſuæ ſuperſtitionis innectere, ſed proprio ſtudio docere & admonere te debet, quemadmodum veræ fidei ſtudere debeas, quando ille tanto motu veri (10) vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego ſuadeo; ſed Deum, certum eſt, omnibus præferendum. Si de re militari eſt conſulendum, debet exercitati in prœliis viri exſpectari ſententia, conſilium comprobari; quando de religione tractatus eſt, Deum cogita: nullius injuria eſt, cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille ſententiam ſuam- Invitum non cogitis colere, quod nolit, hoc idem vobis liceat, imperator! & unus

10) *Tanto ſtudio veritatis & labore pro ea tuenda ſuſcepto, vana & falſa tamen cœcus defendit.*

unus quisque patienter ferat, ſi non extorqueatur imperatori, quod moleſte ferret, ſi ei extorquere cuperet imperator. Ipſis gentilibus diſplicere conſuevit prævaricantis affectus: libere enim debet defendere unusquisque fidele mentis ſuæ, & ſervare propoſitum. Quod ſi aliqui, nomine chriſtiani, tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina caſſa non fallant.(11) Quisquis hoc ſuadet, ſacrificat; & quisquis hoc ſtatuit. (12) Tolerabilius tamen eſt unius ſacrificium, quam lapſus omnium: totus hic chriſtianorum periclitatur ſenatus. Si hodie gentilis aliquis impe-

(11) *Non ſinas te verbis fallacibus decipi.*
(12) *Qui conſulit, & qui ad conſilia talia decernit, aras Deorum erigiendas, particeps utrque idololatriæ ſit.*

imperator, quod abſit, aram ſtatueret ſimulacris; & eo convenire cogeret Chriſtianos, ut ſacrificantibus intereſſent, ut oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, favilla de ſacrilegio, fumus ex buſto, & in ea curia ſententiam diceret, ubi jurati ad aram ſimulacri in ſententiam cogerentur (propterea enim interpretantur aram locatam, ut ejus ſacramento, ut ipſi putant, unusquisque conventus conſuleret in medium, (13) cum curia majore jam chriſtianorum numero ſit referta,) perſecutionem eſſe crederet Chriſtianus, qui cogeretur tali optione ad ſenatum venire: quod fit plerumque, nam etiam injuriis conveni-

re

(13) *Ut unusquisque ſacramento tali ante conſtrictus ſit, quam in medio concilii ſententiam ſuam diceret.*

re coguntur. Te ergo imperatore chriſtiani in aram jurare cogentur? quid eſt jurare, niſi ejus, quem teſtaris fidei tuæ præſulem, divinam potentiam confiteri? Te imperatore hoc petitur & poſtulatur, ut aram jubeas elevari, ſumptum ſacrificiis profanis dari? ſed hoc non poteſt ſine ſacrilegio decerni. Unde rogo te, ne id decernas, ſtatuas, vel in ejusmodi decreta ſubſcribas. Convenio fidem tuam Chriſti ſacerdos. Omnes conveniremus Epiſcopi, niſi incredibile hoc & repentinum ad aures perveniſſet hominum, quod tale aliquid eſſet vel in conſiſtorio ſuggeſtum tuo, vel a ſenatu petitum: ſed abſit, ut hoc ſenatus petiſſe dicatur. Pauci gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium ferme, cum hoc petere tentarent, miſit

ad me S. Damaſus Romanæ eccleſiæ ſacerdos, judicio Dei electus, libellum, quem chriſtiani ſenatores dederunt, & quidem innumeri, poſtulantes nihil ſe tale mandaſſe, non congruere gentilium iſtiusmodi petitionibus, non præbere conſenſum; qneſti etiam publice privatimque, ſe non conventuros ad curiam, ſi tale aliquid decerneretur. Dignum eſt temporibus veſtris, hoc eſt chriſtianis temporibus, ut dignitas chriſtianis ſenatoribus abrogetur, quo gentilibus ſenatoribus profanæ deferatur voluntatis effectus? hunc libellum ego fratri (14) clementiæ veſtræ direxi. Unde conſtitit non ſenatum aliquid de ſuperſtitionis

(14) *Gratiano, Valentiniani Senioris ex Severa prima uxore nato.*

nis impenſis mandaſſe legatis. Sed fortaſſe dicatur: cur dudum non interfuerint ſenatui, cum iſta peterentur? ſatis loquntur, quid velint, qui non interfuerunt: ſatis locuti ſunt, qui apud imperatorem locuti ſunt, & miramur tamen, ſi privatis reſiſtendi Romæ eripiunt libertatem, (15) qui nolunt tibi eſſe liberum, non jubere, quod non probas; non ſervare, quod non ſentis. Et ideo memor legationis proxime (16) mandatæ mihi, convenio iterum fidem tuam, convenio mentem tuam, ne vel reſpondendum ſecun-

---

(15) *Illi nempe gentiles Senatores.*

(16) *Priori anno Treviros ad Mæximum Tyrannum, qui Gratiano prope Lugdunum occiſo, Britaniis & Galliis occupatis, auctoque immenſum per copias Gratiani deſertores exercitu, victor Italiæ imminebat.*

cundum hujusmodi petionem gentilium cenſeas, vel in ejusmodi reſponſa ſacrilegium ſubſcriptionis adjungas. Certe refer ad parentem (17) pietatis tuæ principem Theodoſium, quem ſuper omnibus fere majoribus cauſis conſulere conſueſti. Nihil majus eſt religione, nihil ſublimius fide. Si civilis cauſa eſſet, diverſæ parti reſponſio ſervaretur: Cauſa religionis eſt, epiſcopus convenio. Detur mihi exemplum miſſæ relationis, (18), ut & ego plenius reſpondeam, & ſic de omnibus conſultus Clementiæ tuæ parens reſpondere dignetur. Certe ſi aliud ſtatui-

(17) *Parentis loco habitum.*

(18) *Relationem ſive libellum ſupplicem Symmachi, quam hic expetit Ambroſius, huic epiſtolæ claritatis cauſa ſubnectimus.*

ſtatuitur, epiſcopi hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus. Licebit tibi ad eccleſiam convenire, ſed illic non invenies ſacerdotem, aut invenies reſiſtentem. Quid reſpondebis ſacerdoti dicenti tibi: munera tua non quærit Eccleſia, quia templa gentilium muneribus adornaſti? ara Chriſti dona tua reſpuit, quoniam aram ſimulacris feciſti. Vox enim tua, manus tua, & ſubſcriptio tua, opus eſt tuum. Obſequium tuum Dominus Ieſus recuſat & reſpuit, quoniam idolis obſecutus es. Dixit enim tibi: *Non poteſtis duobus dominis ſervire.* Privilegia tua ſacratæ Deo virgines non habent, & vendicant virgines Veſtæ? (19) cur ſa-

(19) *Deæ, ſeptem numero quibus agros teſtamento legatos, aliosque fisco vendicatos reditus reddi Symmachus poſtulabat.*

ſacerdotes Dei requiris, quibus petitiones gentilium profanas prætuliſti? alieni erroris ſocietatem ſuſcipere non poſſumus. Quid reſpondebis his verbis? puerum eſſe te lapſum? omnis ætas perfecta Chriſto eſt. Omnis Deo, plena pueritia fidei comprobatur: parvuli etiam Chriſtum intrepido adverſus perſecutores ore confeſſi ſunt. Quid reſpondebis germano tuo? nonne tibi dicet: victum me eſſe non credidi, quia te imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te heredem habebam: imperio me decedere non ingemui; quia imperia mea præſertim de religione divinâ omnibus ſæculis manſura credebam? hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has-

de

(20) *Gratiano per proditionem occiſo.*

de ſæculo manubias, hæc ſpolia de diabolo, has ego de adverſario omnium exuvias offerebam, in quibus æterna Victoria eſt. Quid mihi potuit plus meus hoſtis auferre? abrogaſti decreta mea? quod adhuc ille, qui contra me levavit arma, non fecit. Nunc gravius telum corpore recipio, quod à fratre mea ſtatuta damnantur. Meliore parte mei apud te periclitor, illa enim mors corporis, iſta virtutis eſt. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod eſt gravius, abrogatur â tuis, abrogatur â meis (21) & id abrogatur, quod in me etiam adverſarii mei prædicarunt. Si volens acquieviſti, damnaſti Fidem meam: ſi invi-

(21) *Qui mihi amicitia imo ſanguine junctì erant.*

invitus ceſſiſti, prodidisti tuam. Ergo quod gravius eſt, & in te periclitor. Quid reſpondebis etiam patri? qui te majore dolore conveniet dicens, de me, fili! peſſime judicaſti, qui putaſti, quod ego gentilibus conniventiam præſtitiſſem, nemo ad me detulit, aram eſſe in illa Romana curia, nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo chriſtianorum gentiliumque concilio ſacrificarent gentiles, hoc eſt, inſultarent gentiles præſentibus Chriſtianis, & inviti Chriſtiani intereſſe ſacrificiis cogerentur. Multa & diverſa crimina me imperante commiſſa ſunt, ultus ſum, quæcunque ſunt deprehenſa: ſi quis tunc latuit, debet ergo dicere me probaſſe, quod ad me nemo detulerat? de me peſſime judicaſti, ſi mihi ſuperſtitio aliena non

Fides mea ſervavit imperium. (22) Unde cum advertas imperator, Deo primum, deinde patri & fratri injurias irrogari, ſi quid tale decernas: peto, ut id facias, quod ſaluti tuæ apud Deum intelligis profuturum.

---

(22) *In toto præcedenti loco Ambroſius rhetorice emollit facta Valentiniani ſenioris.*

Symmachi urbis præfecti contendentis, veteres ritus circa deorum cultum ſervandos eſſe, ad imperatores relatio.

Ubi primum ſenatus ampliſſimus, ſemperque veſter, ſubjecta legibus vitia cognovit, & a principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum, boni ſæculi authoritatem ſecutus, evomuit diu preſſum dolorem, atque iterum me querelarum ſuarum juſſit eſſe legatum. Gemino igitur functus officio; & ut præ-

fectus veſter geſta publica proſequor, & ut legatus civium mandata commendo. Nulla eſt hic diſſenſio voluntatum, quia jam credere homines deſierunt, aulicorum ſe ſtudio præſtare, ſi diſcrepent. Amari, coli, diligi majus imperio eſt. Quis ferat obfuiſſe reipublicæ privata certamina? merito illos ſenatus inſequitur, qui potentiam ſuam famæ Principis prætulerunt. Noſter autem labor pro Clementia veſtra ducit excubias: cui enim magis commodat, quod inſtituta majorum, quod patriæ jura & facta defendimus, quam temporum gloriæ? quæ tum major eſt, cum vobis contra morem parentum intelligitis, nil licere. Repetimus igitur religionum ſtatum, qui reipublicæ diu profuit. Certe numerentur principes utriusque ſectæ, utriusque ſententiæ: proximus eorum cæremonias patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat diſſimulatio proximorum. Quis tam familiaris eſt barbaris, ut aram Victoriæ non requirat? cauti in poſterum ſumus, & talium rerum oſtenta vitamus. Reddatur ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt. Multa victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit. Averſentur hanc poteſtatem,

qui-

quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deſerere. Cunctis potentia iſta votiva eſt: nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quod ſi hujus ominis non eſt etiam juſta vitatio, ornamentis ſaltem curiæ decuit abſtineri. Præſtate, oro vos, ut ea, quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt, merito divi Conſtantii factum diu non ſtetit. Omnia vobis exempla vitanda ſunt, quæ mox remota didiciſtis. Æternitatem curamus famæ & nominis veſtri, ne quid futura ætas inveniat corrigendum. Ubi leges veſtras & verba jurabimus? quâ religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimoniis mentiatur: omnia quidem Deo plena ſunt, nec ullus perfidis tutus eſt locus; ſed plurimum valet ad metum delinquendi etiam præſentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit ſingulorum; neque aliquid magis authoritatem facit ſententiis noſtris, quam quod omnia juratus noſter ordo decernit. Patebit ergo ſedes profana perjuriis, & hoc inclyti principes mei probabile judicabunt, qui ſacramento publico tuti ſunt? ſed divus Conſtantius idem feciſſe dicitur, cetera potius

illius Principis æmulemur: qui nihil tale eſſet aggreſſus, ſi quis ante ſe alius deviaſſet. Corrigit enim ſequentem lapſus prioris, & deprehenſionis antecedentis exemplo naſcitur emendatio. Fas fuit, ut parens ille clementiæ veſtræ in re adhuc nova non caveret invidiam. Non poteſt etiam nobis eadem defenſio convenire, ſi imitemur, quod meminimus improbatum: accipiat æternitas veſtra alia ejusdem principis facta, quæ in uſum dignius tractat. Nil ille decerpſit ſacrarum virginum privilegiis, replevit nobilibus ſacerdotia; romanis cæremoniis non negavit impenſas; & per omnes vias æternæ urbis lætum ſecutus ſenatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis deorum nomina, percontatus eſt templorum origines, miratus eſt conditores. Cumque alias religiones ipſe ſequeretur, has ſervavit imperio. Suus enim cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Varios cuſtodes urbibus & cultus mens divina diſtribuit. Ut animæ nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur. Accedit utilitas, quæ maxime hominē Deos aſſerit: nam cum ratio omnis in operto ſit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum

ſecu-

ſecundarum cognitio venit numinum? jam ſi longa ætas autoritatem religionibus faciat, ſervanda eſt totius ſeculi fides; & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. Romam nunc putemus aſſiſtere, atque his vobiscum agere ſermonibus: optimi principes, patres patriæ! reveremini annos meos, in quos me prius ritus adduxit. Utar cæremoniis avitis; neque enim pœnitet. Vivam meo more; quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc ſacra Annibalem a mœnibus, â capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo ſervata ſum, ut longæva reprehendar? videro, quod inſtituendum putatur; ſera tamen, & contumelioſa emendatio ſenectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Æquum eſt, quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cælum, idem nos mundus involvit. Quid intereſt, quâ quisque prudentia verum inquirat? uno itinere non poteſt perveniri ad tam grande ſecretum; ſed hæc otioſorum diſputatio eſt: nos preces, non certamina offerimus. Quanto commodo ſacri ærarii veſtri veſtalium virginum prærogativa detracta eſt? ſub largiſſimis impe-

ratoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt? honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt: ita inſigne ducitur ſacerdotii vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate a diſpendio tutæ ſunt: itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Si quidem ſaluti publicæ dicata virginitas creſcit merito, cum caret præmio. Abſint ab ærarii veſtri puritate iſta compendia. Fiscus bonorum principum non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpoliis augeatur. Ullumne lucrum compenſat invidia? & quia avaritia in mores veſtros non cadit, hoc miſeriores ſunt, quibus ſubſidia vetera decerpta ſunt. Etenim ſub imperatoribus, qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cupiditati, ad ſolam detrahitur amittentis injuriam, quod deſiderium non movet auferentis. Agros etiam virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos fiscus retentat. Oro Vos juſtitiæ ſacerdotes, ut urbis veſtræ ſacris reddatur privata ſucceſſio. Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non avaris ſtabile eſſe, quod ſcripſerint. Delectet vos iſta felicitas generis humani,

cæpit

cæpit cauſæ hujus exemplum ſollicitare morientes. Ergo romanæ religiones ſub romana jura non pertinent? quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? capiunt legata liberti, ſervis teſtamentorum juſta commoda non negantur, tantum nobiles virgines, & fatalium ſacrorum miniſtri excluduntur prædiis hæreditate quæſitis. Quid juvat ſaluti publicæ caſtum corpus dicare, & imperii æternitatem cæleſtibus fulcire præſidiis, armis veſtris, aquilis veſtris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota ſuscipere, & jus cum omnibus non habere? itaque melior eſt ſervitus, quæ hominibus impenditur. Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit, ut ingrata ſit. Nemo me putet ſolam cauſam religionum tueri: ex hujus modi facinoribus orta ſunt cuncta romani generis incommoda: honoraverat lex parentum veſtales virgines ac miniſtros deorum victu modico, juſtisque privilegiis ſtetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum ſacræ caſtitatis alimenta verterunt. Secuta eſt hoc factum fames publica, & ſpem provinciarum omnium meſſis ægra decepit. Non

ſunt

ſunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus aſtris. Nec rubigo ſegetibus obfuit. Nec avena fruges necavit: ſacrilegio annus exaruit. Neceſſe enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certe ſi eſt hujus mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Gravis hanc ſterilitatem aura conſtrinxit: ſylveſtribus arbuſtis vita producitur, & rurſus ad dodonæas arbores plebis ruſticæ inopia convolavit. Quid tale provinciæ pertulerunt, cum religionum miniſtros honor publicus paſceret? quando in uſum hominum concuſſa quercus, quando vulſæ ſunt herbarum radices, quando alternos regionum defectus deſeruit fæcunditas mutua, cum populo & virginibus ſacris communis eſſet annona? commendabat enim terrarum proventus victus antiſtitum, & remedium magis, quam largitas erat. An dubium eſt, ſemper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit? dicet aliquis, ſumtum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Abſit â bonis principibus iſta ſententia, ut, quod de communi quibusdam tributum eſt, in jure fiſci eſſe videatur: nam cum respublica de ſingulis conſtet: quod ab ea proficiſcitur, fit rurſus proprium ſin-

gulorum

gulorum. Omnia regitis, ſed ſuum cuique ſervatis: plusque apud vos juſtitia, quam licentia valet: conſulite certe munificentiam veſtram, an hæc publica velit exiſtimari, quæ in alios tranſtuliſtis? ſemel honori urbis delata compendia deſinunt eſſe tribuentium: & quod a principio beneficium fuit, uſu, atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum divino animo veſtro tentat incutere, ſiquis aſſerit conſcientiam habere vos præbentium, niſi detrahentium ſubieritis invidiam. Faveant clementiæ veſtræ ſectarum omnium arcana præſidia; & hæc maxime, quæ majores veſtros aliquando juverunt, vos defendant, á nobis colantur. Eum religionum ſtatum petimus, qui divo parenti veſtro culminis ſervavit imperium, qui fortunato principi legitimos ſuffecit hæredes. Spectat ſenior ille divus ex arce ſiderea lacrymas ſacerdotum, & ſe culpatum putat more violato, quem libenter ipſe ſervavit. Præſtate etiam divo fratri veſtro alieni conſilii correctionem, tegite factum, quod ſenatui diſplicuiſſe neſcivit. Siquidem conſtat ideo excluſam legationem, ne ad eum judicium publicum perveniret. Pro exiſtimatione eſt temporum ſuperiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum eſt principis non fuiſſe.

EPISTOLÆ SECUNDÆ ARGUMENTUM.

Relationi Symmachi urbis præfecti (1) *S. Ambroſius libertate magna reſpondet, validiſſimisque eam rationibus evertit.*

Beatiſſimo Principi & Clementiſſimo imperatori Valentiniano Auguſto, Ambroſius Epiſcopus.

Cum vir clariſſimus præfectus urbis Symmachus ad Clementiam tuam retuliſſet, ut ara, quæ de urbis Romæ curia ſublata fuerat, redderetur loco; &

tu

(1) *Primarii urbis Magiſtratus, cujus erat cauſas, quibus provocatio competebat, & capitales fere omnes dijudicare. Alia ejus officia Ulpianus recenſet. ff. de off. Præf. Urb.*

tu, Imperator licet adhuc in minoris ævi tyrocinio florentibus novus annis, (2) fidei tamen virtute veteranus obſecrata gentilium non probares: eodem, quo comperi, puncto (3) libellum (4) obtuli. Quo licet comprehenderim, quæ ſuggeſtioni neceſſaria viderentur; popoſci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque non fidei tuæ ambiguus, ſed providus cautionis, & pii certus examinis, hoc ſermone relationis aſſertioni reſpondeo: hoc unum petens, ut non verborum elegantiam; ſed vim rerum expendendam putes. Aurea enim (ſicut

ſcript-

---

(2) *Catechumenus & necdum baptizatus adolescens.*

(3) *Temporis.*

(4) *Priorem nempe epiſtolam.*

ſcriptura divina docet) eſt lingua ſapientium literatorum, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplendentis eloquii velut coloris pretioſi coruſco reſultans, capit animorum oculos ſpecie formoſi, viſusque perſtringit. Sed aurum hoc, ſi diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum eſt. Volve quæſo, atque excute ſectam gentilium: pretioſa & grandia ſonant, veri (5) effœta defendunt; Deum loquuntur, ſimulacrum adorant. Tria igitur in Relatione ſua vir clariſſimus præfectus urbis propoſuit, quæ valida putavit: *Quod Roma veteres, ut ait, ſuos, cultus requirat, & quod ſacerdotibus ſuis virginibusque veſtalibus emolumenta tribuenda ſint, & quod emolumen-*

(5) *Veritatis expertia, & inania.*

lumentis ſacerdotum negatis, fames ſecuta publica ſit.

In prima propoſitione, flebili Roma queſtu ſermonis illacrymat, veteres, ut ait, cultus cæremoniarum requirens. Hæc ſacra, inquit, Annibalem â mœnibus, â capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum ſacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal (6) diu ſacris inſultavit romanis, & diis contra ſe dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur ſe obſideri paſſi ſunt, pro quibus deorum ſuorum arma pugnabant? nam de Senonibus (7) quid loquar, quos Capitolii

(6) *Notiſſimum hoc ducis Carthaginenſium nomen.*

(7) *Cæſis enim ad Alliam Romanis, reliqui eorum in Capitolium tarpeiæ ru-*

pi

lii ſecreta penetrantes romanæ reliquiæ non tuliſſent, niſi eos pavido anſer ſtrepitu prodidiſſet? en quales templa romana præſules habent. Ubi tunc erat Jupiter? an in anſere loquebatur? verum quid negem, ſacrorum ritus militaſſe Romanis? ſed etiam Annibal eosdem deos colebat. Utrum volunt igitur, eligant. Si in Romanis vicerunt ſacra, in Carthaginenſibus ergo ſuperata ſunt; ſi in Carthaginenſibus triumphata, nec Romanis utique profueruut. Faceſſat igitur invidioſa illa populi romani querela. Non hæc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus: *quid me caſſo*

---

pi impoſitum fugére, quam noctu ſubeuntes Senones victores ab anſeribus clangore & alarum crepitu proditi, facile armis obſeſſorum dejecti ſunt.

caſſo quotidie gregis innoxii ſanguine cruentatis? non in fibris pecudum, ſed in viribus bellatorum trophæa victoriæ ſunt. Aliis ego diſciplinis orbem ſubegi. Militabat Camillus, (8) qui ſublata Capitolio ſigna, cæſis tarpeiæ rupis triumphatoribus reportavit: ſtravit virtus, quos religio non removit. Quid de Atilio loquar, qui militiam etiam morti impendit? (9) Africanus (10) non inter Capitolii aras, ſed

---

(8) *Dictator abſens à Romanis electus, ſuppetias ſame jam victis tulit, Senonasque duplici prælio ſtravit. Liv. L. 5. §. 49.*

(9) *De eo ex parte Veſpaſiani contra Vitellium pugnante aſſerit Tacitus hiſt. L. 3. §. 22: aquilam multa cum hoſtium ſtrage & ad extremum moriens ſervaverat.*

(10) *Scipio, qui in Africa vicit Annibalem. Liv. L. 30. §. 32.*

ſed inter Annibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla proverſis? odi ritus Neronum. (11) *Quid dicam bimeſtres imperatores, & terminos regum cum exordiis copulatos?* (12) *aut forte illud eſt novum barbaros ſuis exceſſiſſe finibus?* (13) *Numquid etiam illi chriſtia-*

---

(11) *Tiberii nempe & Claudii, crudeliſſimorum hominum: de quorum primo Seutonius §. 59. hos verſus refert:*

Aurea mutaſti Saturni ſecula, cæſar:
incolumi nam te, ferrea ſemper erunt &c.

De ſecundo Boetius L. 2. conſ. phil. metr. VI.

Novimus quantas dederit ruinas,
urbe flammata, patribusque cæſis,
fratre qui quondam ferus interemto,
matris effuſo maduit cruore. &c.

(12) *Vitellii forte, qui 7, Galbæ & Taciti, qui 6, Othonis, qui 3, aut potius Aelii & Didii, qui 2 menſes; & Gordiani I, qui paucos dies imperarunt.*

(13) *Enimvero Lucanus L. 1. Phar. ſic jam conqueſtus eſt:*

Nos

chriſtiani fuerunt, quorum miſerabili novoque exemplo alter captivus imperator, (14) *ſub altero captivus orbis,* (15) *fefelliſſe, quæ victoriam promittebant, ſuas cæremonias prodiderunt?* (16) *numquid & tunc non erat ara Victoriæ? pœnitet lapſus,* (17) *& vetuſta canities pudendi*

C *ſan-*

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, & Martem Libyes, curſumque furoris
Teutonici.

(14) *Valerianus in cavea circumducebatur a rege Perſarum Sapore, ut ipſi equum aſcenſuro cervicem pro ſcabello ſubjiceret. Lactant. de mort. perſecut.*

(15) *Sub Gallieno triginta Tyranni provincias imperii romani occupaverunt. Trebell.*

(16) *Hi exemplo demonſtrarunt ſuo, cæremonias ſuas ſibi falſo victoriam promiſiſſe.*

(17) *Me erroris.*

ſanguinis traxit ruborem. Non erubeſco cum toto orbe longæva converti. Verum certe eſt, quia nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt; erubeſcat ſeneſtus, quæ emendare ſe non poteſt. Non annorum canities eſt laudanda, ſed morum. Nullus pudor eſt, ad meliora tranſire. Hoc ſolum habeam commune cum barbaris, quia Deum antea neſciebam. Sacrificium veſtrum ritus eſt beſtiarum cruore reſpergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? (18) *venite, & diſcite in terris cæleſtem militiam: hic vivimus, & illic militamus. Cæli myſterium doceat me Deus ipſe, qui condidit, non homo, qui ſeipſum ignoravit. Cui magis de Deo, quam Deo credam?*

(18) *Per aruſpicinam exta inſpicientes.*

dam? quomodo poſſum vobis credere, qui fatemini, vos ignorare, quod colitis.

Uno, inquit, itinere non poteſt perveniri ad tam grande ſecretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus; & quod vos ſuſpicionibus quæritis, nos id ex ipſa Dei ſapientia, & veritate compertum habemns. Non Congruunt igitur veſtra nobiscum. Vos pacem Diis veſtris ab imperatoribus obſecratis, nos ipſis imperatoribus â Chriſto pacem rogamus. Vos manuum veſtrarum adoratis opera, nos injuriam ducimus, omne, quod fieri poteſt, Deum putari: non vult ſe Deus in lapidibus coli. Denique etiam ipſi philoſophi veſtri iſta riſerunt. Quod ſi vos ideo Deum Chriſtum negatis; quia illum mortuum eſſe non creditis: (neſcitis enim, quod

mors illa carnis fuerit, non divinitatis, quæ fecit, ut jam credentium nemo moriatur;) quid vobis imprudentius, qui contumelioſe colitis, & honorifice derogatis: veſtrum enim Deum lignum putatis, o contumelioſa reverentia! Chriſtum mori potuiſſe, non creditis, o honorifica pervicacia!

Sed vetera, inquit, reddenda ſunt altaria ſimulacris, ornamenta delubris. Repoſcantur hæc a conſorte ſuperſtitionis, chriſtianus imperator aram ſolius Chriſti didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia miniſterium ſuis cogunt ſacrilegiis exhibere? (19) Vox imperatoris noſtri Chriſtum reſultet & illum ſolum, quem ſentit, loquatur, *quia*

cor

(19) *Cur volunt cogere manus pias, ut miniſterium exhibeant &c.*

cor regis in manu Dei. Numquid imperator gentilis aram Chriſto levavit? dum ea, quæ fuerunt, repoſcunt, exemplo ſui admonent, quantum Chriſtiani imperatores religioni, quam ſequuntur, debeant deferre reverentiæ, quando gentiles ſuperſtitionibus ſuis omnia detulerunt. Dudum cœpimus, & jam ſequamur excluſos. (20) Nos ſanguine (21) gloriamur, illos diſpendium movet. Nos hæc (22) victoriæ loco ducimus, illi injuriam putant. Nunquam nobis amplius

(20) *Sequamur gentiles in iis, quæ contra nos fecerunt, id quod dudum cœpimus; ſed jam eos etiam excludamus a pari conatu, uti ante nos excluſerunt.*

(21) *Effuſo pro religione noſtra.*

(22) *Quæ à Chriſtianis Imperatoribus modo contra gentiles mandantur, quando contra nos mandata ſunt, aut mandantur, victoriæ &c.*

contulerunt, quam cum verberari Chriſtianos atque proſcribi ac necari jubebant. Præmium fecit religio, quod perfidia putabat eſſe ſupplicium. Videte, magnanimos per injurias, per inopiam, per ſupplicium nos credimus: illi cæremonias ſuas ſine quæſtu manere poſſe non credunt. Habeant, inquit, veſtales virgines immunitatem ſuam. Dicant hoc, qui neſciunt credere, quod poſſit eſſe gratuita virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot (23) tamen illis virgines præmia promiſſa fecerunt. Vix ſeptem veſtales capiuntur (24) puellæ.

En

(23) *Quam multas &c.*

(24) *Eliguntur & initiantur a maximo pontifice. Capi autem dicebantur, quia manu à pontifice prehenſæ è patria*

En totus numerus, quem infulæ (25) vittati capitis, purpuratarum veſtium murices, pompa lecticæ miniſtrorum circumfuſa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præſcripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus; ſed ignobile velamen uſu nobi-

tria poteſtate veluti captæ bello abducebantur: oportebat autem eas tum eſſe non minores ſexennio, nec majores decennio; atque per triginta ſequentes annos virgines permanere. Poſt nubere liberum erat.

(25) *Latæ fasciæ, queis adinſtar diadematis tempora cingebant veſtales, dependentibus ad majus decus ex utraque parte vittis ſive extremis tæniis. De quibus Virgilius. L. 3. Georg.* 487. Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

le caſtitatis: (26) non exquiſita, ſed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum inſignia, non luxus deliciarum, ſed uſus jejuniorum: non privilegia, non lucra, omnia poſtremo talia, ut revocari ſtudia putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, (27) provocatur ſtudium. Suis caſtitas cumulatur diſpendiis. Non eſt virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis ſtudio poſſidetur. Non eſt integritas, quæcunque tamquam in auctione nummario ad tempus follicitatur compendio. (28) Prima caſtitatis victoria

(26) *Dum faciem tegit, & procaces aſpectus impedit.*

(27) *Caſtitatis virginalis, provocatur ejus ſtudium, deſiderium.*

(28) *Quæſtu.*

ria eſt, facultatum cupiditates vincere: quia lucri ſtudium tentamentum pudoris eſt. Ponamus tamen ſubſidia largitatum conferenda virginibus. Quæ Chriſtianis munera redundabunt, quod tantas opes ſufficiet ærarium? aut ſi arbitrantur ſolis veſtalibus conferendum, non pudet, ut, qui totum ſibi ſub imperatoribus gentilibus vindicarunt, iidem ſub principibus Chriſtianis non putent nobis ſortem debere eſſe communem? Sacerdotibus quoque ſuis & miniſtris queruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? at contrà nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur, (29) & nemo con-

que-

(29) *Impp. Valentiniano Valente & Gratiano*

queritur: non enim putamus injuriam; quia diſpendium non dolemus. Si privilegium quærat ſacerdos, ut onus curiale (30) declinet, patria atque avita & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt. Quomodo hanc, gentiles ſi haberent, ingravarent querelam, quod ſacerdos ferias miniſterii ſui emat totius patrimonii ſui damno, & privatus

---

tiano latis. L. 20. de Epiſc. & Cler. C. Theod. rogante, uti videtur, Damaſo pontifice, ob ſcandala Antymi & Sophronii. De quibus agit Hieron. in Ep. 2, & 22. ad Nepotian. & Euſtoch.

(30) *Onus publicum in bonum curiæ ſubeundum. Erat autem curia pars talis civitatis, quales hodie ſunt paræciæ Chriſtianorum. Habebant enim & ipſæ ſuum fanum proprium, quod itidem curia nominabatur, cum curione, qui ſacris præerat. Romæ primitus* 30 *curiæ a Romulo inſtitutæ ſunt.*

tus univerſæ commoditatis diſpendio uſum publici mercetur obſequii: prætendens communis ſalutis excubias, domeſticæ inopiæ ſe mercede ſoletur, quia miniſterium non vendidit; (31) ſed gratiam comparavit. Conferte cauſas. Vos excuſare vultis curionem, cum eccleſiæ excuſare non liceat ſacerdotem. Scribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, ſoli ex omnibus clerico commune jus clauditur, a quo ſolo pro omnibus votum commune ſuscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium vi-

dua-

(31) *Operam illam, quam in ſacro ſuo miniſterio locare debet, non vendidit reipublicæ, ſed gratis imo cum damno ſuo proprio locat: gratiam ergo reipublicæ ſibi comparavit, quam hæc ei reddere tenetur.*

duarum, (32) nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præſcribitur: quod ſacerdotibus fani legaverit chriſtiana vidua, valet, quod miniſtris Dei, non valet: quod (33) ego, non ut querar, ſed ut ſciant, quid non querar, comprehendi: malo enim nos pecuniâ minores eſſe, quam gratia. Sed referunt, ea quæ vel donata vel relicta ſunt eccleſiæ, non eſſe temerata. (34) Dicant & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod factum eſt Chriſtianis. Quæ ſi facta eſſent gentilibus, redderetur potius, quam inferretur injuria. Nunccine demum juſtitia

(32) *Nobilium adeo non proſunt clerico.*
(33) *Hæc omnia comprehendi, ſive verbis hic complexus ſum.*
(34) *Violata aut ablata:*

ſtitia prætenditur, æquitas poſtulatur? ubi tunc erat iſta ſententia, cum direptis Chriſtianorum omnium facultatibus, ipſas vitales anhelitus inviderent; & nullis usquam negata defunctis inhiberent ſupremæ commercia ſepulturæ? quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei iſta victoria eſt, quod & ipſi jam facta majorum carpant ſuorum: ſed quæ (malum!) ratio, ut eorum (35) munera petant, quorum geſta condemnant: nemo tamen donaria delubris, & legata aruſpicibus denegavit: ſola ſublata ſunt prædia: quia non religioſe utebantur (36) iis, quæ religionis jure defenderent. Qui noſtro utuntur exemplo, cur non utebantur officio

(35) *Majorum munera repetant,*
(36) *Gentiles adverſarii noſtri.*

officio? (37) nihil eccleſia ſibi niſi fidem poſſidet, hos redditus præbet, hos fructus: poſſeſſio eccleſiæ ſumptus eſt egenorum. Numerent, quos redemerint templa (38) captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi ſubſidia miniſtraverint. Prædia igitur intercepta, non jura ſunt.

En quod factum, quæ triſte piaret nefas, (39) fames, ut ajunt, publica vindicavit; quia uſui omnium proficere cœpit, quod proficiebat commodis ſacerdotum. Propterea ergo detractis, ut ajunt, arbuſta exuta corticibus, ſucco miſerabili deficientium ora lambebant.

Prop-

(37) *Pio noſtro agendi & patiendi modo?*
(38) *Deorum.* Eſt ironica permiſſio
(39) *En quale factum fames, quæ triſte piaret nefas, vindicavit.*

Proptereà Chaonia (40) frugem glande mutantes rurſum in pecudum paſtus, & ad infelicis victus alimenta revocati, concuſſa quercu, famem in ſylvis miſeram ſolabantur. Nova videlicet prodigia terrarum, quæ nunquam antè acciderant, cum ſuperſtitio gentilis toto orbe ferveret. Reverâ quando antè vacuis avenis ſeges fallax avari vota luſit agricolæ; & ſpem ruſticæ plebis quæſita ſulcis frugis herba deſtituit? Et unde Græcis oracula habitæ ſuæ quercus, niſi

(40) *Chaonia, à Chaonibus Epiri populo, apud quos erat celeberrimum quercetum dodonæum Jovi ſacrum; in quo quercus oracula dabant. Hinc & Virgilius L. I. Georg.* 8. *ait:*

Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

ad quem verſum ſenſu inverſo alludere videtur Ambroſius. ſimiles alluſiones in multis aliis locis invenies.

niſi quia remedium ſylveſtris alimoniæ cœleſtis religionis dona putarunt. Talia enim ſuorum munera credunt deorum. Quis dodonæas arbores niſi Gentium populus adoravit, cum (41) pabulum triſte ſacri nemoris honore donaret? non eſt veriſimile, quod indignantes eorum Dii id pro pœna intulerunt, quod ſolebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, ut paucis ſacerdotibus dolentes (42) victum denegatum, ipſi omnibus negarent? cur inclementior eſſet vindicta, quam culpa? non eſt igitur idonea, quæ tantam ægritudinem mundi fallentis (43) cauſa conſtrinxit,

ut

(41) *Hic populus gentilis.*

(42) *Dii.*

(43) *Labores terram colentium.*

ut virentibus ſegetibus ſubito ſpes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos (44) templorum jura toto orbe ſublata ſunt. Modone demum diis gentilium venit in mentem ſuas injurias ultum ire? propterea nec aſſueto curſu Nilus intumuit, ut urbicorum ſacerdotum diſpendia vindicaret, qui non vindicavit ſuorum? eſto tamen, ſi ſuperio-

(44) *A Conſtantino jam, ejusque filio Conſtantio reſcribente: L. 2. de pag. C. Theod.* ceſſet ſuperſtitio, ſacrificiorum aboleatur inſania; nam quicunque contra legem divi Principis parentis noſtri, & hanc noſtræ manſuetudinis juſſionem auſus fuerit ſacrificia celebrare, competens in eum vindicta & præſens ſententia exeratur.

re anno deorum ſuorum injurias vindicatas putant: cur præſenti anno contemptui fuere? jam enim nec herbarum vulſis radicibus ruſticana plebs paſcitur, nec baccæ ſylveſtris explorat ſolatia, nec cibum de ſentibus rapit: ſed operum læta (45) felicium dum meſſes ſuas & ipſa miratur, explevit voti ſatietate jejunium: uſurarios nobis reddidit terra proventus. Quis ergo tam novus humanis uſibus, ut vices ſtupeat annorum? & tamen etiam ſuperiore anno plerasque novimus provincias redundaſſe frugibus. De Galliis quid loquar ſolito ditioribus? frumentum Pannoniæ, quod non feverant,

(54) *Plebs.*

rant, vendiderunt. Et fœcunda Rhetia fertilitatis ſuæ novit invidiam: nam quæ ſolebat tutior eſſe jejunio, fœcunditate hoſtem in ſe excitavit. Liguriam Venetiasque autumni frumenta paverunt. Ergo nec ille ſacrilegio (46) annus exaruit, & iſte fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam, quod largo fœtu vineæ redundaverint. Itaque & meſſem fœneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ benficia poſſidemus.

Poſtremus ſupereſt & maximus locus, utrum ea, quæ vobis profuerint, imperatores! reſtituere ſubſidia debeatis. Ait enim: *vos defendant, à nobis*

(46) *Quo cultus Deorum violabatur.*

colantur. Hoc eſt, fideliſſimi Principes! quod ferre non poſſumus; quia exprobeant nobis, veſtro ſe nomine diis ſuis ſupplicare; & vobis non mandantibus ſacrilegium immane committunt, diſſimulationem pro conſenſu interpretantes. Sibi habeant præſidia ſua: ſuos, ſi poſſunt, illa defendant: nam ſi iis, â quibus coluntur, auxilio eſſe non poſſunt: quomodo poſſunt vos defendere, â quibus non coluntur? Sed *majorum* inquit *ſervandus eſt ritus.* Quid, quod omnia poſtea in melius profecerunt? mundus ipſe, qui vel primum coactis elementorum per inane ſeminibus, (47) tenero orbe

(47) *Iterata alluſio ad Virg. eccl.* 6. *canentem:*
Uti magnum per inane coacta ſemina

orbe concreverat, vel confuſo adhuc indigeſti operis caligabat horrore, nonne poſtea diſtincto cœli, maris, terrarumque diſcrimine, rerum formas, quibus ſpecioſus videtur, accepit? exutæ humentibus tenebris novum terræ ſtupuere ſolem. Dies in exordio non refulget, ſed in proceſſu temporis incremento

---

ſemina terrarumque, animæque, (aëris) marisque fuiſſent
& liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.
Jamque novum ut terræ ſtupeant luceſcere ſolem.

mento luminis micat, & caloris exæſtuat. luna ipſa, qua propheticis oraculis ſpecies eccleſiæ figuratur, cum primum reſurgens in menſtruas reparatur ætates, tenebris nobis abſconditur, paulatimque ſua cornua complens, vel e regione ſolis abſolvens clari ſplendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus terræ ante neſciebant; poſt, ubi imperare arvis ſollicitus incœpit agricola, & informe ſolum veſtire vinetis, ſylveſtres animos domeſticis mollitæ (48) cultibus exuerunt. Anni ipſius ætas prima, quæ nos uſu (49) parili coloravit, nuda gignit en-

(48) *Terræ. Confer. Virg. Georg. II.* 35. *& ſeq.*

(49) *Quæ ætas prima in hominibus par illi ætati anni, uſuque ſimilis eſt.*

entium, ſed in proceſſu lapſuris floribus vernat, poſtremis adoleſcit fructibus. Nos quoque ævi rudes ſenſus habemus infantiæ, ſed mutati in annos, ingenii rudimenta deponimus. Dicant igitur in ſuis omnia manere debuiſſe principiis; mundum tenebris obductum, quia ſplendore ſolis illuxit, diſplicere. Et quanto gratius eſt animi tenebras depuliſſe, quam corporis, fideique jubar emicuiſſe, quam ſolis? Ergo & mundi, ſicut omnium rerum, primæva viam mutarunt, ut venerabilis canæ fidei ſequeretur ſenectus. Quos hoc movet, reprenhedant meſſem; quia ſera fœcunditas eſt. Reprehendant vindemiam, quia in occaſu anni eſt. Reprehendant oli-

vam; quia poſtremus eſt fructus. Ergo & meſſis noſtra fides animarum in Eccleſia, gratia meritorum vindemia eſt: quæ ab ortu mundi virebat in Sanctis, ſed poſtrema ætate ſe diffudit in populos, ut adverterent omnes non rudibus animis irrepſiſſe fidem Chriſti: nulla enim ſine adverſario corona victoriæ: ſed explosâ ea opinione, quæ ante convaluit, id, quod erat verum, jure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma ſucceſſit? omitto abſconditam pretio humum (50), & paſtorales caſas auro degeneri reniten-

(50) *Olim in caſis Romanorum nudam, neque, uti modo, pretioſis lapidibus ſtratam.*

tentes. Quid (ut de ipſo reſpondeam, quod queruntur) captarum ſimulacra urbium, victosque deos, & peregrinos ritus ſacrorum alienæ ſuperſtitionis æmuli receperunt? Unde igitur exemplum, quod currus ſuos ſimulato Almonis in flumine lavat Cybele, (51) unde phrygii vates; & ſemper inviſa Romanis non æquæ Cartha-

(51) *Dea hæc, ut narrat Livius L. XXIX. §. 10. &c. Peſſimunte Phrygiæ Romam allata eſt, ibique 14to anno belli punici ſecundi coli cœpta more phrygio. Porro Almo eſt amnis prope Romam in Tiberim, uti prope Peſſimuntem Gallus amnis in Sagarim, influens: quaſi in hoc igitur, ſic in illo quot annis in feſto Megaleſiorum, ſimulacrum deæ, poſtquam ſonora cum pompa per urbem circumductum fuerat, lavabatur. Conf. Ovid. L. IV. faſt.*

ginis numina?(52) quam Cœleſtem Afri, Mitram Perſæ, plerique Venerem colunt pro diverſitate nominis, non pro numinis varietate: ſic eandem eſſe, & victoriam crediderunt, quæ utique munus eſt, non poteſtas; donatur, non dominatur, legionum gratiâ, non religionum potentiâ: Magna igitur dea, quam militum multitudo ſibi vendicat, vel prœliorum donat eventus! Hujus aram

ſtrui

---

(52) *Idem hic Ambroſius inſinuat, quod aliquot poſt annis Leo I. Pont. Rom. ſerm. in feſto SS. Petri & Pauli apertius dicebat; nempe:* Cum penè omnibus dominaretur gentibus (*Roma*) omnium gentium ſerviebat erroribus &c. *nam cum Afris cœleſtem, cum Perſis mitram coluit, cum plerisque Venerem, quæ nomine tenus tantum ab illis differebat.*

ſtrui in urbis Romæ curia petunt, hoc eſt, quo plures conveniunt Chriſtiani. Omnibus in templis aræ, arâ etiam in templo Victoriam, (53) quando numero delectantur, ſacrificia ſua ubique concelebrant. Quid eſt, niſi inſultare fidei, unius aræ ſacrificium vendicare? Ferendumne iſtud, ut gentilis ſacrificet, & Chriſtianus interſit? hauriant omnes, inquit, hauriant vel inviti fumum oculis, ſymphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus; & averſantium licet ora, excitata focis noſtris favilla reſpergat. Non illi ſatis ſunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ ſimulacris? etiam

(53) *Concelebrant.* Sunt verba indignantis.

etiamne in communi illo conſilio non erit communis conditio? obſtringetur pia ſenatus portio obteſtantium vocibus, adjurantium ſacramentis? ſi refutet, videbitur mendacium prodere: ſi acquieſcat, ſacrilegium profiteri. *Ubi*, inquit, *in leges veſtras & verba jurabimus*? ergo mens veſtra, quæ legibus tenetur incluſa, cæremoniis gentium ſuffragium colligit, fidem ſtringit: jam non ſolum præſentium ſed abſentium etiam; & quod eſt amplius, Imperatores! fides veſtra pulſatur. Vos enim cogitis, ſi jubetis. Conſtantius auguſtæ memoriæ nondum ſacris initiatus myſteriis (54), contaminari

(54) *Nempe baptismi, quo nonniſi moribundus ab Euzoio Ariano ablutus fuit.*

minari ſe putavit, ſi aram illam videret. Juſſit auferri, non juſſit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcepti non habet. Nemo ſibi de abſentia (55) blandiatur, præſentior eſt, qui ſe animis inſerit, quam qui oculis proteſtatur. (56) Plus enim eſt mente connecti, quam corpore copulari. Vos (57) ſenatus cogendi conſilii præſules habet, vobis coit, vobis conſcientiam ſuam, non diis gentium præſtat, vos liberis ſuis, non tamen fidei ſuæ præfert. Hæc eſt charitas expetenda, hæc eſt charitas major imperio, ſi fides tuta ſit, quæ ſervat im-

(55) *A tali ſacrificio in ara Victoriæ facto.*

(56) *Teſtatur, teſtis eſt.*

(57) *Imperatores præſules exiſtimat &c. Et vobis conſcientiam ſuam devincit.*

imperium. Sed fortaſſe aliquem moveat, ita fideliſſimum principem deſtitutum: (58) proinde quaſi meritorum pretium caducis æſtimetur præſentium. Quis enim ſapiens, non in orbe quodam, atque circuitu locata hnmanarum rerum novit negotia, quia non eosdem ſemper ſucceſſus habent; ſed variant ſtatus & mutant vices? quem beatiorem Cneo Pompeio romana templa miſerunt? at, is cum tribus triumphis terrarum cinxiſſet orbem, pulſus acie, bello profugus, & ſui terminis exul imperii (59) Canopei

(58) *Gratianum nempe à ſuis eſſe deſtitutum & proditum.*

(59) *Prope litus Peluſiacum in Aegypto. Plutar. in Pomp.*

nopei manu ſpadonis (60) occubuit. Quem nobiliorem Cyro Perſarum, totius Orientis terræ regem dederunt? is quoque cum principes potentiſſimos adverſantes viciſſet, victos reſervaſſet, muliebribus armis (61) fuſus interiit. Et ille rex, qui ſuperatos (62) etiam conſeſſûs honore donaverat, exſecto capite, & intra utrem plenum cruoris ſatiari juſſus incluſo, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in iſtius vitæ curriculo non paria paribus, ſed longe diverſa referuntur.

---

(60) *Achillæ oriundi Canopo.*

(61) *Tomyris Maſſagetarum reginæ.*

(62) *Cræſum nempe Lydorum regem, cui victo juxta ſe conſidere conceſſit, magnamque obſervantiam exhibuit. Herod. L. I. §. 88.*

tur. Quem etiam magis ſacrificiis deditum, quam Carthaginenſium ducem Hamilcarem reperimus? qui cum toto prœlii tempore inter acies (63) poſitus dimicantes ſacrificium faceret, ubi partem ſuorum victam eſſe cognovit, in ipſos, quos adolebat, ignes ſe præcipitavit, ut eos vel cruore ſuo reſtingueret, quos ſibi nihil profuiſſe cognoverat. Nam de Juliano quid loquar? qui (64), cum reſponſis haruſpicum male credulus eſſet, ademit (65) ſibi ſubſidia revertendi

---

(63) *In caſtris nempe ſuis permanens, uti dicit Herod. L. VII. §. 167.*

(64) *Expeditionem in Perſas aggreſſurus, hoſtiis plurimis maſtatis.*

(65) *Naves exurendo.*

vertendi. (66) Ergo in communi caſu non eſt communis offenſa. Neminem enim promiſſa noſtra luſerunt. Reſpondi laceſſentibus tanquam non laceſſitus. Refellendæ etenim relationis, non exponendæ ſuperſtitionis mihi ſtudium fuit. Te tamen, imperator, ipſa eorum relatio faciat cautiorem Nam cum de ſuperioribus Principibus texuiſſet, quia prior eorum numerus cæremonias patrum coluit, recentior non removit, addidiſſet etiam, ſi exemplum religio veterum non facit, faciat diſſimulatio proximorum: evidenter docuit, quod & fidei tuæ debeas, ut gentilitii ritus non ſequaris exemplum, & pietati, ut fratris ſtatu-

(66) *Imo a Perſis undique circumdatus, haſta confoſſus periit. Ammian. L. XXIV.*

ta non violes. Si enim pro ſuis duntaxat partibus eorum diſſimulationem principum prædicarunt,(67)qui,cum eſſent chriſtiani, decreta tamen gentilium (68) minimè removerunt: quanto magis amori debent deferre fraterno, ut, qui diſſimulare deberes, etiam ſi quid forſitan non probares, ne fraternis derogares ſtatutis. Et nunc teneas, quod & fidei tuæ & germanitatis neceſſitudini judicas convenire?

EPI-

(67) *Sic Ammianus gentilis L.* 30. *prædicat Valentinianum ſeniorem, quod* inter religionum diverſitates medius ſteterit; nec quenquam inquietaverit, neque ut hoc coleretur aut illud, imperaverit.

(68) *Principum, Imperatorum.*

EPISTOLÆ TERTIÆ(1) ARGUMENTUM.

Quod laico nec de fide diſputare nec de ſacerdote judicare liceat. Quare Ambroſius, ut cum Auxentio (2) ariano

(1) *Datæ anno Chriſti* 386.

(2) *Qui circa hæc tempora in aulam cæſaream fretus Juſtinæ, matris Imperatoris arianæ gratia irrepserat. De eo Ambroſius*, in oratione de baſilicis non tradendis, *ait, quod ſe dicat epiſcopum. ....* dein: *legimus in propheta, quod viderit falcem volantem, hanc imitatus Auxentius, gladium volantem per omnes urbes direxit. Et ſatanas ſe transfigurat in angelum lucis, & in malum imitatur ejus potentiam. Unum portentum eſt, duo nomina. Etenim ne cognoſceretur, quis eſſet, mutavit ſibi vocabulum; ut quia hic fuerat Auxentius epiſcopus* (Antecessor Ambroſii) *arianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, ſe vocaret Mercurinum*

de fide coram arbitris disputet, (3) *imperatoris consistorium adire constantissime renuit.*

Clementissimo Imperatori & beatissimo Augusto Valentiniano Ambrosius Episcopus.

Dalmatius me tribunus & notarius mandato, ut allegavit, clementiæ convenit tuæ, postulans, ut & ipse judices legerem, sicut legisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant

---

rinum. Mutavit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutavit .... Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur .... Minora fecit in Scythia, ... Sceleratiora hic ausus est. —

(3) *Hoc urgebat Auxentius, ab Ambrosio ob hæreticam doctrinam & perversos ma-*

rant poſtulati: ſed id addidit, quòd in conſiſtorio futura eſſet certatio; arbitro pietatis judicio tuæ. Cui rei reſpondeo, ut arbitror, competenter. Nec quisquam contumacem judicare me debet, cum hoc afferam, quod non ſolum ſermone reſpondit (4) auguſtæ memoriæ pater tuus: ſed etiam legibus ſuis (5)

mores continue exagitatus, non quod S. Præſulem a ſe ſuperari poſſe ſperaret, ſed quod hujus certaminis arbitros gentiles delegiſſet, qui pariter præſulis libertatem ferre nequibant. Uti infra patebit.

(4) *Hypatiano Heracleæ epiſcopo his verbis: mihi, qui unus e laicorum numero ſum, non licet, me ejusmodi negotiis interponere; & ideo ſacerdotes & epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, ubicunque ipſis libitum fuerit, in unum conveniant. Sozom. L. 6. c. 7.*

(5) *L. 20. quorum appel. C. Theod.*

ſanxit: in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis: hæc enim verba reſcripti ſunt; hoc eſt, ſacerdotes de ſacerdotibus voluit judicare. Quin etiam, ſi alias quoque argueretur epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hæc voluit ad epiſcopale judicium pertinere. Quis igitur contumaciter reſpondit Clementiæ tuæ? ille qui te patri ſimilem eſſe deſiderat, an qui vult eſſe diſſimilem? niſi forte vilis quibusdam tanti Imperatoris exiſtimatur ſententia, cujus & fides confeſſionis (6) conſtantiâ com-

pro-

(6) *Fidei nempe cauſa cum fratre ſuo Valente, ne Juliano ſacrificanti obtemperaret, baltheo depoſito, Melitinam Armeniæ relegatus fuerat Socrat. L. 4. c. 1. Sozom. L. 6. c, 6.*

probata eſt, & ſapientia melioratæ (7) reipublicæ profectibus prædicatur. Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſâ fidei laicos de epiſcopo judicaſſe? ita ergo quadam adulatione curvamur, ut ſacerdotalis juris ſimus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? ſi docendus eſt epiſcopus a laico, quid ſequetur? laicus ergo diſputet, & epiſcopus audiat, epiſcopus diſcat â laico. At certe ſi vel ſcripturarum ſeriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis eſt, qui abnuat, in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei epiſcopos ſolere de impera-

(7) *Tum per ſaluberrimas leges, & ſeveram earum contra prævaricatores executionem, tum etiam per felices bellicas expeditiones.*

toribus chriſtianis, non imperatores de epiſcopis judicare: eris (8) Deo favente etiam ſenectutis maturitate provectior, & tunc de hoc cenſebis, qualis ille epiſcopus ſit, qui laicis jus ſacerdotale ſubſternit. Pater tuus, Deo favente vir maturioris ævi dicebat: non eſt meum judicare inter epiſcopos: tua nunc dicit Clementia: ego debeo judicare? & ille baptizatus in Chriſto inhabilem ſe ponderi tanti putabat eſſe judicii, Clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis ſacramenta ſervantur, arrogat de fide judicium, cum fidei ipſius ſacramenta (9) non noverit? quales autem elegerit, judi-

(8) *Poſt plusculos annos.*

(9) *Myſteria, & altiores doctrinas de Trinitate, incarnatione, Euchariſtia &c.*

quas

judices. poſſumus exiſtimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant plane, ſiqui ſunt, ad Eccleſiam, audiant cum populo (10): non ut quisquam judex reſideat; ſed ut unusquisque de ſuo affectu habeat examen, eligat, quem ſequatur. Agitur de iſtius (11) Eccleſiæ ſacerdote (12): ſi audierit illum populus, & putaverit melius diſputare, ſequatur fidem ejus, non invidebo. Omitto, quia jam ipſe populus

quas nonniſi baptizati pro temporis illius diſciplina clarè docebantur. Hinc Auguſtinus ait: interrogemus catechumenum: manducas carnem filii hominis? . . neſcit, quid dicimus. *Tract.* 11. *in Joan.*

(10) *Me cum Auxentio diſputantem, & contra eum diſſerentem.*

(11) *Mediolanenſis*

(12) *Auxentio.*

judicavit: Taceo quia eum (13), quem habet, de patre tuæ Clementiæ poſtulavit: Taceo, quia Pater pietatis tuæ quietem futuram ſpopondit, ſi electus ſuſciperet ſacerdotium. Hanc fidem ſecutus ſum promiſſorum (14). Quod ſi aliquorum peregrinorum (15) aſſentatione ſe jactat, ibi ſit epiſcopus, unde ſunt ii, qui eum epiſcopatus nomine putant eſſe donandum: nam ego nec epiſcopum novi, nec, unde ſit, ſcio.

Ubi

---

(13) *Nempe me. Vide præfationem.*

(14) *Hac fide ab Imperatore data, his factis promiſſis tandem epiſcopatum ſuscepi.*

(15) *Qui per Leges Theodoſii contra hæreticos latas* (vid. C. Theod. l. 11. & 12, & 13. de hær.) *exagitati in Oriente, aut etiam è civitatibus pulſi Mediolanum magno numero confluxerant; ubi ſciebant Arianos a Juſtina Auguſta ariana officiis omnibus foveri.*

Ubi illud conſtituimus (16), Imperator! quod jam ipſe tuum judicium (17) declaraſti, immo etiam dediſti leges, (18) ne cui eſſet liberum aliud judicare. Quod cum

---

(16) *In hac re illud jam conſtituo, & pro me allego.*

(17) *Eſſe.*

(18) *Eam, ut videtur, quæ eſt in Cod. Theod. L. 4. de fid. Cath. quæ ſic habet: damus copiam colligendi* (fideles in cœtum) *his,* (Arianis) *qui ſecundum ea ſentiunt, quæ temporibus divæ memoriæ Conſtanti I, ſacerdotibus convocatis ex omni orbe romano, expoſitaque fide ab his* (catholicis), *qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi conſilio Conſtantinopoli etiam confirmata, in æternum manſura decreta ſunt: conveniendi* (in eccleſiam) *etiam his, quibus juſſimus, pateſcat arbitrium. Scituris* (Catholicis) *his, qui ſibi tantum exiſtimant colligendi copiam contributam, quod ſi turbulentum quippiam contra noſtræ tranquillitatis præceptum faciendum eſſe temptaverint, ut ſeditionis*

cum præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat. Visne igitur experiar, ut incipiant ii, qui judices eliguntur, aut adverſus tuam venire ſententiam, (19) aut excuſare, quod imperatoris tam ſevero & tam diſtricto imperio non potuerint obviare? ſed hoc contumacis, non modeſti eſt ſacerdotis. Ecce imperator! legem jam ex parte re-

---

nis auctores, pacisque turbatæ eccleſiæ, etiam majeſtatis capite ac ſanguine ſint ſupplicia tituri. Manente nihilominus eos ſupplicio, qui contra hanc diſpoſitionem noſtram obreptive aut clanculo ſupplicare temptaverint. Dat. X. kal. Febr. Med. Honorio NB. P. & Evodio Coſſ.

(19) *Et damnare fidem in Ariminenſi concilio (aut potius in conciliabulo Conſtantinopolitano) ab Arianis aſſertam, quam tueris.*

reſcindis; (20) ſed utinam non ex parte; ſed in univerſum. (21) Legem enim tuam nollem ſupra Dei eſſe legem (22). Dei lex nos docuit, quid ſequamur, humanæ leges hoc docere non poſſunt. Extorquere ſolent timidis commutationem, (23) fidem inſpirare non poſſunt. Quis erit igitur ille, qui, cum legat per tot provincias uno momento eſſe mandatum, ut, quicunque obviaverit (24) imperatori, feriatur gladio: quicunque Dei templum non tradiderit, (25) protinus oc-

(20) *Cum ipſe turbis anſam das.*
(21) *Plane eam aboleres.*
(22) *Et magis obſervari.*
(23) *Morum, ſermonis, aut ſententiæ.*
(24) *Contrarius fuerit, impediendo facultatem colligendi & conveniendi Arianis lege tua conceſſam.*
(25) *Cum hoc turbulentum quippiam, & contra tranquillitatis præceptum videtur*

occidatur? quis, inquam, eſt, qui poſſit vel unus vel inter paucos dicere imperatori: lex tua mihi non probatur? non permittur hoc dicere ſacerdotibus, permittur laicis? & judicabit de fide, qui aut gratiam ſperat, aut metuit offenſam? Deinde ipſe committam, ut eligam judices laicos, qui cum tenuerint (26) fidei veritatem, aut proſcribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? ego igitur aut prævaricationi (27) offeram homines, aut pœnæ? Non tanti eſt Ambroſius, ut propter ſe dejiciat ſacerdotium (28). Non tanti eſt unius vita, quanti eſt

---

tur hæreticis dicentibus, (teſte eodem Ambr. in Serm. debaſ. non tr.) *quia ſeditio movetur.*

(26) *Et defenderint,*

(27) *Qua negent fidem ſuam.*

(28) *Cœtum ſacerdotum his periculis objiciat.*

eſt dignitas omnium ſacerdotum, quorum de conſilio iſta dictavi (29): intimantibus, (30) ne fortè etiam gentilis eſſet aliquis aut Judæus, qui ab Auxentio eſſet electus; (31) quibus traderemus de Chriſto triumphum, ſi de Chriſto judicium committeremus. Quid illos aliud, niſi Chriſti injuriam audire delectat? quid illis aliud poteſt

(29) *Amanuenſi, qui hanc epiſtolam ſcripſit.*

(30) *Et qui mihi intimabant, & valde timendum eſſe dicebant.*

(31) *Quam fundatus iſte timor fuerit, patet ex citato modo ſerm. paulo poſt ad pop. mediol. habito, in quo hæc dicit Ambroſius:* ego, fratres! coram ipſo apud vos plenius diſputarem, ſed certus (Auxentius) non ignaros vos eſſe fidei, veſtrum refugit examen; & gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines elegit ſibi cognitores, ſi tamen aliquos elegit; quos vellem adeſſe in cœtu omnium, non ut de Chriſto judicent, ſed ut majeſtatem audiant Chriſti.

poteſt placere, niſi, (quod abſit) ut Chriſti divinitas denegetur? cum iis planè bene convenit Ariano, qui creaturam Chriſtum dicit; quod etiam gentiles ac Judæi promptiſſime profitentur. Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi (32) ſynodo: meritoque conſilium iſtud exhorreo, ſequens tractatum concilii Nicæni, â quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare. Quam fidem etiam parens Clementiæ tuæ Theodoſius beatiſſimus Imperator & ſequitur, & probavit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ,

&

(32) *Italiæ civitatis; in qua Valentis & Urſacii Arianorum epp. fraudibus circumventi Patres ſymbolum eorum ad ſpeciem catholicum ſubſcripſerunt. Unde Hieronymus adv. Lucif. de hac ſynodo ait:* tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt, tunc ingemuit totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.

& cum pia divini ſpiritus confeſſione cuſtodiunt; ſi tractandum eſt, tractare in Eccleſia didici: quod majores fecerunt mei; ſi conferendum de fide, ſacerdotum iſta debet eſſe collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit judicium ſacerdotibus (33). Factum (34) etiam eſt ſub Conſtantio auguſtæ memoriæ Imperatore, paternæ dignitatis hærede. Sed quod bene cœpit, (35) aliter con-

(33) *In ſynodo Nicæna I. œcum. dicens:* ne gravemini, o ſancti Dei, & miniſtri . . . deinceps cauſas diſſenſionis inter vos graſſantis jam penitus tollere. *Euſeb. in vit. Conſt. L.* 3. *c.* 11.

(34) *Idem.*

(35) *Procurando, ut regiis ſumptibus Concilium Epiſcoporum Arimini congregaretur.*

ſummatum eſt. Nam Epiſcopi ſinceram primo ſcripſerunt fidem: (36) ſed dum volunt quidam (37) de fide intra palatium judicare, id egerunt, ut circumſcriptionibus (38) illa Epiſcoporum judicia mutarentur. Qui tamen inflexam ſtatim revocavere ſententiam. Et certe major numerus (39) Arimini, Nicæni Concilii fidem probavit, ariana decreta damnavit. Si ad ſynodum provocat Auxentius, ut de fide diſputet, (licet non ſit neceſſe, propter unum tot Epis-

co-

---

(36) *Symbolumque ejus per legatos decem ad Imperatorem, uti ipſe poſtulaverat, Conſtantinopolim miſerunt.*

(37) *Valens & Urſacius, qui præverterant legatos.*

(38) *Dolo malo. Vide Severum L. 2. & Hieron. loc. cit.*

(39) *Trecenti & viginti nempe ex quadringentis.*

copos fatigari, qui, etiamſi angelus de cœlo eſſet, paci Eccleſiarum non deberet præferri,) cum audiero ſynodum congregari, & ipſe non deero. Tolle igitur legem, ſi vis eſſe certamen.

Veniſſem, Imperator! ad Conſiſtorium Clementiæ tuæ, ut hæc coram ſuggererem, ſi me vel Epiſcopi vel populus permiſiſſent, dicentes de fide in Eccleſiâ coram populo debere tractari. Atque utinam, imperator! non denuntiaſſes, (40) ut, quo vellem, pergerem (41). Quotidie prodibam, nemo me aſſervabat. Debuiſti me, quò volueras, deſtinare (42), quem ipſe omnibus offerebam.

(40) *Per tribunos dato mandato.*

(41) *Exul. relictâ eccleſia mediolanenſi.*

(42) *In exilium.*

Nunc mihi â ſacerdotibus dicitur: Non multum intereſt, utrum volens relinquas, an tradas altare Chriſti: cum enim reliqueris, trades. Atque utinam liquido mihi pateret, quod Arianis Eccleſia minime traderetur: ſponte me offerrem Pietatis tuæ arbitiro. Sed ſi ego ſolus interſtrepo, cur etiam de aliis omnibus invadendis Eccleſiis (43) eſt præceptum (44)? Utinam confirmetur, ut eccleſiis nullus moleſtus ſit: opto, ut de me,

(43) *Quæ ſunt in Italia.*

(44) *Iſtud haud multo poſt executioni datum fuit. Uti patet ex his dictis Ambroſii in ſerm. de baſil. non trad.*: quo enim abibo, ubi non omnia plena gemitus ſint atque lacrymarum, quando per eccleſias jubentur ejici catholici ſacerdotes, reſiſtentes gladio feriri, curiales proſcribi omnes, niſi mandatum impleverint?

me, qualis (45) videtur, ſententia proferatur.

Dignanter igitur imperator accipe, quod ad conſiſtorium venire non potui. Ego in conſiſtorio niſi pro te ſtare non didici. Et intra palatium certare non poſſum, quia palatii ſecreta (46) nec quæro, nec novi. Ego Ambroſius Epiſcopus hunc libellum obtuli clementiſſimo Imperatori, & beatiſſimo Auguſto Valentiniano.

---

(45) *Qualiscunque.*

(46) *Artes, agendi modos, fraudes.*

EPISTOLÆ QUARTÆ(1)

ARGUMENTUM

Marcellinæ ſorori, imperatoriæ petitionis, ut baſilicæ traderentur, eventum anxié ſciſcitanti, facti ſeriem, univerſamque recenſendo cauſam compendiario reſpondet

Ambroſius Epiſcopus Marcellinæ Sorori. (2)

Quoniam omnibus fere epiſtolis ſollicitè quæris de Eccleſia, accipe, quid aga-

---

(1) *Ob affinitatem & connexum materiæ, quam Ambroſius ſuis in epiſtolis ad Principes tractat, hanc ſubnectere non dubitavimus, utpote quæ lucem non mediocrem aliis ſuperfundit.*

(2) *Primogenitæ Parentum & unicæ a S. Liberio Pontifice Romæ ſacro virginitatis velamine donatæ, & domi ſuæ, cum Candida & Indicia itidem ſacratis degenti.*

agatur. Poſtridie, quam accepi literas tuas, quibus ſignificaveras, quod te exagitarent ſomnia tua, moles inquietudinum gravium cœpit moveri. Nec jam Portiana, hoc eſt, extramurana baſilica petebatur; (3) ſed baſilica nova, hoc eſt, intramurana, quæ major eſt. Convenerunt me primo principes, (4) virtutum viri, (5) comites conſiſtoriani, (6) ut baſilicam traderem, & procurarem, nequid populus turbarum moveret. Reſpondi, quod erat mei ordinis; templum Dei tradi a ſacerdote non poſſe. Acclamatum (7) eſt ſequenti die in Eccle-

(3) *A Juſtina Ariana ad uſum ſuorum.*
(4) *Aulæ, ſive comitatus primates.*
(5) *Primores militiæ.*
(6) *Conſiliarii ſummi tribunalis regii.*
(7) *Mihi ab approbantibus meum reſponſum.*

ſiâ. Etiam præfectus (8) eò venit, cœpit ſuadere, ut baſilicâ Portianâ cederemus. Populus reclamavit. Ita nunc disceſſum eſt, ut Imperatori ſe intimaturum diceret. Sequenti die (erat autem dominica) (9) poſt lectiones (10) atque tractatum (11) dimiſſis catechumenis, ſymbolum aliquibus competentibus (12) in baptiſterii tradebam baſilicâ, Illic nuntiatum eſt mihi, comperto,

(8) *Prætorio, qui ſummus omnium Magiſtratuum fuit, militari ſimul & civili poteſtate inſtructus.*

(9) *Palmarum.*

(10) *Quæ ex ſacra ſcriptura diebus dominicis ante ſacrificium à lectoribus alta voce fiebant.*

(11) *Quo lectiones factæ ab epiſcopo explicabantur.*

(12) *Qui erant poſt diligens examen ex reliquis catechumenis electi, & idonei judicati ad baptismum feſto paſchatis aut pentecoſtes ſuſcipiendum.*

to, quod ad Portianam baſilicam de palatio decanos (13) miſiſſent, & vela (14) ſuſpenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen manſi in munere, miſſam facere cœpi. Dum offero, (15) raptum cognovi a populo (16) Caſtulum quendam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in plateâ offenderant tranſeuntes. Amariſſimè flere & orare in ipſa oblatione Deum cœpi, ut ſubveniret, ne cujus ſanguis in cauſa eccleſiæ fieret; certe ut meus ſanguis pro

(13) *Militares, qui decem militibus præerant. Vide Veget. L. 2. c. 13.*

(14) *Sive cortinas, quæ erant tituli inſtar affixi, quo ſignificaretur baſilica ab imperatore vendicata. Quod enim iſthic venturus illuc putaretur, tenſis velis ſeu cortinis locus eidem parabatur. Alciat. parerg. l. 5 c. 14.*

(15) *Offertorium incipio.*

(16) *Catholico offenſo ob vim, qua Ariani invadebant baſilicam.*

ſalute non ſolum populi, ſed etiam pro ipſis impiis profunderetur. Quid multa? miſſis presbyteris & diaconibus eripui injuriæ virum. Condemnationes illico graviſſimæ decernuntur (17): Primo in corpus omne mercatorum. Itaque Sanctis diebus hebdomadis ultimæ, (18) quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtrident catenæ, imponuntur collo innocentium, exiguntnr ducenta pondo auri intra triduum. Reſpondent aliqui, ſe tantum, aut duplum, ſi peteretur, daturos; dummodo ſervarent fidem. Erant pleni carceres negotiatoribus. Palatina omnia officia, hoc eſt, memoriales, (19) agen-

(17) *Ab Imperatore.*
(18) *Ante paſcha.*
(19) *Qui res & cauſas memoria dignas adnotant, in codices referunt.*

agentes in rebus, (20) apparitores (21) diverſorum comitum, temperare â proceſſu (22) jubentur, ſpecie, quâ ſeditioni intereſſe prohibbeantur. Honoratis (23) multa minabantur graviſſima, niſi baſilicam traderent. Fervebat perſecutio: ac, ſi aperuiſſent (24) portam, prorupturi in omne facinus videbantur. Convenior ipſe a comitibus & tribunis, ut baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus, imperatorem jure ſuo uti, eo quod in ejus poteſtate eſſent omnia. Reſpondi

(20) *Qui annonæ, quæ fiſco ex canone præſtabatur, convehendæ præſunt. Turneb. L.* 13. *adverſ. c.* 10.

(21) *Miniſtri, qui juſſa exequuntur magiſtratuum, inter quos & comites.*

(22) *In publicum.*

(23) *Qui nobilitate proſapiæ, aut titulo dignitatum honorati ſunt. Alciat L.* 1. *præterm.*

(24) *Ariani, qui in comitatu regio, ſive aula erant.*

di, ſi â me peteret, quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verum, quæ divina, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubjecta. Si patrimonium petitur, invadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans; ſed pro altaribus gratius immolabor; horrebam quippe animo, cum armatos (25) ad baſilicam occupandam miſſos cognoſcerem, ne, dum baſilicam vendicant, aliqua ſtrages fieret, quæ in perniciem totius vergeret civitatis. Orabam ne tantæ urbis, vel totius

Ita-

(25) *Decanos.*

Italiæ buſto ſuperviverem. Deteſtabar invidiam fundendi cruoris, offerebam jugulum meum. Aderant Gothi tribuni, adoriebar eos, dicens: propterea vos poſſeſſio romana ſuſcepit, (26) ut perturbationis publicæ vos præbeatis miniſtros? quo tranſibitis, ſi hæc (27) deleta fuerint? Exigebatur a me ut, compeſcerem populum. Referebam, in meo jure eſſe, ut non excitarem, in Dei manu, ut mitigaret. Poſtremo ſi me incentorem putarent, jam in me vindicari oportere, vel abduci me, in quas vellent, terrarum ſolitudines. His dictis illi abierunt: ego in baſilica veteri totum

(26) *In Thraciam primitus uti tutores finium, ſub Valente anno* 376: *dein à Theodoſio victi romano imperio plane inſiti fuerunt. Oros. L.* 7. *c.* 34.

(27) *Quæ Romanorum ſunt.*

tum exegi diem; inde domum cubitum me recepi, ut ſi quis abducere vellet, inveniret paratum. Ante lucem ubi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur baſilica. (28) Idque â militibus imperatori mandatum (29) dicitur, ut, ſi prodire veliet, haberet copiam; ſe tamen præſto futuros, ſi viderent eum cum catholicis convenire, alioquin ſe ad eum cœtum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros. Prodire de Arianis nullus audebat; quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regiâ, nonnulli etiam Gothi. Quibus ut olim plauſtra (30) ſedes erat, ita nunc, plauſtrum

Eccle-

(28) *Portiana.*
(29) *Nunciatum.*
(30) *Currus tecti corio, in quibus vitam agebant.*

Eccleſia eſt. Quocunque fæmina iſta (31) proceſſerit, ſuos ſecum omnes cœtus vehit. Circumfuſam baſilicam eſſe gemitu populi intellexi; ſed dum leguntur lectiones, intimatur mihi plenam populi eſſe baſilicam etiam novam, majorem videri plebem, quam cum eſſent omnes liberi (32): lectorem efflagitari. Quid plura? milites ipſi, qui videbantur occupaſſe baſilicam, (33) cognito, quod præcepiſſem, ut abſtinerentur â communionis conſortio, ad conventum hunc noſtrum (34) venire cœperunt. Quibus viſis, turbantur mulierum animi, proripit ſe una, (ipſi tamen milites ſe ad ora-

(31) *Juſtina.*
(32) *A perſecutione.*
(33) *Portianam animo infeſto.*
(34) *In Baſilicam veterem.*

orationem veniſſe, non ad prælium loquebantur) clamavit aliqua; populus quam moderatè, quam conſtanter, quam fideliter poſcebat, ut ad illam pergeremus baſilicam (35): in illâ quoque baſilicâ fertur, quod populus præſentiam efflagitabat meam. Tunc ego hunc adorſus ſermonem ſum! audiſtis filii! librum Job hodie legi, qui ſolemni munere eſt decurſus & tempore. Scivit ex uſu (36) hunc librum etiam diabolus intimandum, (37) quo virtus omnis ſuæ tentationis aperitur, & proditur; & ideo ſe hodie motu majore concuſſit: ſed gratias Deo noſtro, qui vos ita firmavit fide

(35) *Novam.*

(36) *Conſueto in eccleſia.*

(37) *Legendum & explicandum fidelibus.*

& patientia. Unum Job miraturus aſcenderam (38), omnes Job, quos mirarer, inveni. In ſingulis vobis Job revixit, in ſingulis ſancti illius patientia & virtus refulſit: Quid enim præſtantius dici potuit a chriſtianis viris, quam id, quod hodie in vobis ſpiritus ſanctus eſt locutus? rogamus, Auguſte! non pugnamus. Non timemus, ſed rogamus. Hoc Chriſtianos decet, ut tranquilitas pacis optetur; & fidei, veritatisque conſtantia nec mortis revocetur periculo. Eſt enim præſul dominus, qui ſalvos faciet ſperantes in ſe. Sed veniamus ad propoſitas lectiones. Vi-

 detis

(38) *Ambonem ſive ſuggeſtum, qui erat in medio fere baſilicæ. De quo vide Natalem Diſſ. VIII. art. III. ad ſec. III.*

detis diabolo tentandi licentiam dari, ut boni probentur. Invidet inimicus bonis profectibus, tentat diverſis modis. Tentavit ſanctum Job in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in dolore corporis. Fortior in ſuo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et mihi meas divitias (39), quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquilitatis veſtræ patrimonium diſſipare cupiebat. Vos quoque ipſos mihi bonos filios geſtiebat eripere, pro quibus ego quotidie inſtauro ſacrificium, vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur involvere. Duo igitur jam genera tentationis excepi, & fortaſſe, quia me Deus Do-

(39) *Spiritualium gratiarum.* *Comparationem ſe inter & Jobum proſequitur.*

Dominus infirmiorem novit, adhuc in corpus meum non dedit poteſtatem. Etſi ipſe cupiam, etſi offeram, adhuc me fortaſſe huic certamini imparem judicat, & diverſis exercet laboribus. Nec Job ab iſto cœpit certamine; ſed in hoc conſummavit. Tentatus eſt autem Job nuntiis coacervatis malorum; tentatus eſt etiam per mulierem, quæ ait: *dic aliquod verbum in Deum, & morere.* Videtis, quanta ſubito moveantur: Gothi, arma, gentiles, mulcta mercatorum, pœna (40) ſanctorum. Advertitis, quid jubeatur, cum mandatur: trade baſilicam, hoc eſt, dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec ſolum dic adverſus Deum, ſed etiam fac adverſus Deum. Mandatur: trade

(40) *Vincula, ſqualor carceris, &c.*

altaria Dei. Urgemur igitur præceptis regalibus, ſed confirmamur ſcripturæ ſermonibus, quæ reſpondit (41): *tanquam una ex inſipientibus locuta es.* Non mediocris igitur iſta tentatio: namque aſperiores tentationes has eſſe cognovimus, quæ fiunt per mulieres. Denique per Evam etiam Adam ſupplantatus eſt: eoque factum, ut â mandatis cœleſtibus deviaret. Quo errore cognito, prævaricatricis conſcientiæ reus latere cupiebat; ſed latere non poterat, & ideo ait ei Deus (42): *Adam ubi es?* hoc eſt, quid eras ante? ubi nunc eſſe cœpiſti? ubi te conſtitueram? quo ipſe

trans-

---

(41) *Cum Jobo, c. 2.*

(42) *Qui mihi, ſi me ſinam quoque a muliere Juſtina ſupplantari, idem dicet, nempe: Ambroſi ubi es? &c.*

transgreſſus es? agnoscis eſſe te nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidiſti. Folia ſunt iſta, quibus nunc velare te quæris; repudiaſti fructum, ſub foliis legis latere cupis, ſed proderis. Recedere â Domino Deo tuo propter unam mulierem deſideraſti, propterea fugis, quem videre quærebas, cum unà muliere abſcondere te maluiſti, relinquere ſpeculum (43) mundi, incolatum paradiſi, gratiam Chriſti. Quid dicam, quod etiam Eliam Jezabel cruenta perſecuta eſt? quod Joannem Baptiſtam Herodias fecit occidi? ſingulæ tamen ſingulos; mihi quo minora longe merita, eo tentamenta graviora. Virtus infirmior, ſed plus periculi. Succedunt ſibi mulie-

(43) *Baſilicam, & eccleſiam mediolanenſem*

rum (44)vices, alternantur odia,commenta variantur, ſeniores conveniuntur, prætexitur regis injuria. Quæ ratio igitur eſt adverſus hunc vermiculum (45) moliri graviores tentationes, niſi quia non me, ſed Eccleſiam perſequuntur? Mandatur denique: trade Baſilicam. Reſpondeo: nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator! expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei exiſtimas auferendam? allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: noli te gravare, Imperator! ut putes, te in ea, quæ divina

(44) *Juſtinæ, unius quidem, ſed pluribus vicibus me inſectantis, dum jam per Auxentium provocat, jam per Euthymium in exilium rapere nititur, jam per tribunos ad dedendam baſilicam urget, jam per Imperatorem terret, exilio deſtinat &c.*

(45) *Qualis ego ſum.*

vina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus: ſcriptum eſt: *Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari.* Ad imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ. publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum. Iterum dicitur, imperatorem mandaſſe: debeo & ego unam baſilicam habere. Reſpondi: non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adulterâ? (46) adultera eſt enim, quæ non legitimo Chriſti conjugio copulata.

Dum hæc tracto, (47) ſuggeſtum eſt mihi, cortinas Regias eſſe collec-

 tas,

(46) *Ariana eccleſia, quacum communicas.*

(47) *In veteri baſilica.*

tas (48), refertam autem populo baſilicam, præſentiam mei poſcere: ſtatimque eo converti ſermonem meum dicens: quam alta & profunda oracula ſunt ſpiritûs ſancti. Matutinis horis lectum eſt, ut meminiſtis, fratres! quod ſummo animi dolore reſpondimus: *Deus! venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Et reverâ venerunt gentes, & plus etiam quam gentes (49) venerunt: venerunt enim Gothi, & diverſarum nationum viri, (50) venerunt cum armis, & circumfuſi occupaverunt baſilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis (51) dolebamus; ſed noſtra

(48) *Complicatas & ſublatas iterum in Portiana.*
(49) *Gentiles ſolum & ethnici,*
(50) *Barbari*
(51) *Scientiæ & providentiæ tuæ.*

noſtra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, ſed vere in hereditatem tuam venerunt: qui enim gentes venerunt, facti ſunt Chriſtiani, qui ad invadendam hæreditatem venerunt, facti ſunt cohæredes Dei; defenſores habeo, quos hoſtes putabam, ſocios teneo, quos adverſarios èxiſtimabam. Completum eſt illud, quod de Domino Jeſu David cecinit: *quia factus eſt in pace locus ejus, &: Ibi confregit cornua arcuum, ſcutum, & bellum.* Cujus enim hoc munus, cujus opus, niſi tuum Domine Jeſu? videbas ad templum tuum armatos venire, hinc gemere populum, & frequentem adeſſe, ne baſilica Dei traderetur, inde vim militibus, (52)

(52) *Fieri, & imperatori a populo fideli.*

imperatori, mortem ante oculos mihi (53): ne quid inter hæc furori liceret, inſeruiſti te, Domine! medium; & feciſti utraque unum. Compescuiſti armatos dicens profecto: ſi ad arma concurritur, ſi in templo meo lis commovetur, quæ utilitas in ſanguine meo? Gratias itaque tibi, Chriſte! non legatus neque nuntius; (54) *ſed tu Domine ſalvum feciſti populum tuum, conſcidiſti ſaccum*

(53) *Obverſari.*

(54) *Qui enim à Maximo pro Ambroſio ad Valent. miſſus fuerat, poſt advenit. De hoc Theodor. l. 5. c. 14. ait*: Ubi Maximus Tyrannus de facinore contra præclariſſimum veritatis præconem Ambroſium per Valentinianum admiſſo, certior factus eſt, ſcribit ad Valent. literas, hortaturque, uti tum a bello contra pietatem faciendo deſiſtat, tum ne paternam pietatem prodere moliatur: poſtremo minatur bellum, ſi non obtemperaret, ſe contra eum ſuscepturum.

cum & præcinxiſti mè lætitia. Hæc ego dicebam ratus imperatoris animum ſtudio militum, obſecratione comitum, precatu populi poſſe miteſcere. Interea nuntiatur mihi miſſum notarium, qui mandata deferret. Conceſſi (55) paululum, mandatumque intimat. Quid tibi viſum eſt, inquit, ut contra placitum (56) faceres? reſpondi: quid placitum ſit, ignoro, quidve temere (57) factum dicatur, incertum habeo. Ait: cur presbyteros ad baſilicam (58) deſtinaſti? ſi tyrannus es, ſcire volo: ut ſciam, quemadmodum me adverſus te præparem. Retuli dicens me nihil in præjudicium fe-

(55) *E conſpectu populi, deſcendens ambone.*
(56) *Regium.*
(57) *A quoquam.*
(58) *Portianam.*

feciſſe Eccleſiæ: eo tempore, quo audieram, occupatam eſſe a militibus baſilicam, gemitum tantummodo liberiorem habuiſſe, multisque adhortantibus, ut eo pergerem, dixiſſe: tradere baſilicam non poſſum; ſed pugnare non debeo. Poſtea vero, quam cognoverim cortinas regias inde eſſe ſublatas, cum me populus eo ire depoſceret, direxiſſe presbyteros: me tamen noluiſſe ire; ſed dixiſſe: credo in Chriſto, quod ipſe nobiſcum faciet imperator. Si hæc tyrannis videtur, habeo arma, ſed in Chriſti nomine, habeo offerendi mei corporis poteſtatem. Quid moraretur ferire, ſi tyrannum putaret? veteri jure â ſacerdotibus donata imperia (59) non uſur-

(59) *Sauli, Davidi, Joæ. &c.*

uſurpata; & vulgò dici, quod imperatores (60) magis ſacerdotium optaverint, quam imperium ſacerdotes. Chriſtus fugit, ne Rex fieret. Habemus tyrannidem noſtram. Tyrannis (61) ſacerdotis infirmitas eſt. *Cum infirmor* (62) inquit (63) *tunc potens ſum* (64). Cavere tamen (65); ne ipſe ſibi tyrannum faceret, cui Deus adverſarium non excitavit.

(60) *Omnes enim a Julio Cæſare ſummi pontifices aut creari, aut ſaltem nominari voluerunt, ad Gratianum usque, qui primus titulum hunc abjecit. Zoſim. l. 4. §. 36.*

(61) *Poteſtas, qua ſe ſupra principem legitimum elevat.*

(62) *In contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.*

(63) *Paulus 2. ad Cor. 12.*

(64) *Roboror, potens & fortis fio.* Eo enim tempore gratia divina potiſſimum accedit: *dicit Chryſoſt. hom. XVI. in hanc epiſt. Pauli. quem conf.*

(65) *Eum debere.*

tavit. Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego ſim Valentiniani, qui ſe meæ legationis (66) objectu queritur ad Italiam non potuiſſe tranſire: addidi, quia nunquam ſacerdotes tyranni fuerunt; ſed tyrannos ſæpe ſunt paſſi. Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro. Sciſſæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ (67). Ego domum redire non potui, quia circumfuſi erant milites, qui baſilicam cuſtodiebant, cum fratribus (68) pſalmos in eccleſiæ baſilica minore diximus. Sequenti die lectus eſt de more liber Jonæ, quo completo, hunc ſermonem adorſus ſum. Liber lectus eſt fratres! quo prophe-

(66) *Vide n.* 16. *in epiſt. prima. Et epiſtolam ſequentem.*

(67) *Convolutæ tantum, & nondum ex baſilica elatæ.*

(68) *Presbyteris.*

phetatur, quod peccatores in pœnitentiam revertantur. Acceptum (69) eſt ita, ut ſperaretur in præſenti futurum. Addidi, quod vir juſtus offenſam contrahere voluiſſet, ne vel ſpectaret, vel denuntiaret excidium civitati; & quod lugubre eſſet illud dictum: (70) contriſtatus quoque ſit, quod aruiſſet cucurbita. Deum quoque dixiſſe ad prophetam: *ſi triſtis es pro cucurbita?* reſpondiſſe Jonam: triſtis. Dixiſſe Dominum, ſi illud doleret, quod exuſta eſſet cucurbita, quanto magis ſibi curæ eſſe oportere tantæ plebis ſalutem? & ideo excidium, quod paratum toti urbi fuerat, removiſſe.

Nec

---

69) *Hoc eſt ita, ut idem quoque in præſenti perturbatione ſperaretur futurum.*

(70) *Jonæ c. 4. v. 2. & 3.*

Nec mora, nuntiatur imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de baſilica, negotiatoribus quoque, quod exactum dē condemnatione fuerat, redderetur: quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plauſus? quæ gratia? erat autem dies, quo ſe Dominus pro nobis tradidit, quo in eccleſia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nuntiare milites, irruentes in altaria osculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnovi, quod Deus vermem antelucanum (71) percuſſerat, ut tota civitas conſervaretur. Hæc geſta ſunt, atque utinam jam finita. Sed graviores motus futuros plena commotionis imperialia verba indicant. Ego tyran-

(71) *Maleſuadam temeritatem Juſtinæ, Eſt inverſa alluſio ad Jon. c. 4. v. 7.*

rannus appellor, & plus etiam quam tyrannus: nam cum imperatorem comites obſecrarent, uti prodiret ad eccleſiam, idque petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: ſi vobis jufſerit Ambroſius, vinctum me tradetis. Quid poſt hanc vocem ſuperſit, conſidera; quam vocem omnes cohorruerunt: ſed habet, â quibus exaſperetur. Denique etiam ſpeciali expreſſione Calligonus præpoſitus cubiculi (72) mandare mihi auſus eſt: me vivo tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. Reſpondi: Deus permittat, ut impleas, quod minaris. Ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies, quod ſpadonis. Minas

(72) *Qui inter primas dignitates fuit ob tantam & tam aſſiduam principis curam. L. 3. de metatis. C. Theod.*

tuas non timeo: carnem enim occidere potes, animam autem non potes. Vitam iſtam corporis poteris eripere, meritum non potes extinguere. Anima namque, quæ Deo ſubdita eſt, humanæ poteſtati non eſt ſubjecta. An nocere te putas? immo magnum mihi commodum præſtas. Vitam adimis temporalem, ut ſuccedat perpetua. Denique dixi: utinam Deus avertat hoſtes ab eccleſia, & in me omnia eorum tela convertat: ut meo ſanguine ſitim ſuam expleant. Vale ſoror in Domino!

EPISTOLÆ QUINTÆ (1)

ARGUMENTUM.

Cum Maximus in Galliis Imperator, ſumma rerum occidentalis imperii poti-

(1) *Datæ in Galliis anno* 387.

pôrituruſ, quod cæſo per fraudem Andragathii ſui equitum magiſtri Graziano jam cogitabat, in Italiam movere nunciaretur, magno diſpenſationis divinæ judicio factum eſt, ut perſecutores Ambroſii Valentinianus & Juſtina ad ipſum nunc confugerent, rogarentque, demuo ut ad Tyrannum legatus proficiſceretur; & ſub ſpecie petendarum Graziani reliquiarum ſive oſſium, eum, quemadmodum ante quadriennium fecerat, authoritate ſua & eloquentiæ vi ab Italiæ ingreſſu prohiberet. Quanta Conſtantia S. Epiſcopus hanc legationem obierit, hac epiſtola Valentiniamum maturè edocet.

Valentiniano Imperatori Ambroſius Epiſcopus.

Etſi ſuperioris legationis meæ fides ita approbata ſit tibi, ut ratio ejus â me non quæreretur: (ſatis enim claruit eo ipſo, quod aliquot dies retentus ſum intra Gallias, me violentiam â Maximo

non recepiſſe, neque iis adſtipulatum, quæ ad voluntatem ejus magis, quam ad pacem protenderent: denique non commiſiſſes ſecundam legationem, niſi primam probaſſes) quia tamen regredienti mihi decernendi ſecum impoſuit (2) neceſſitatem, ideo hâc epiſtolâ expoſitionem legationis meæ inſinuandam putavi, ne cujuſquam ſermo veris priùs vana intexeret, quam reditus meus integræ & ſinceræ veritatis expreſſa ſignacula manifeſtaret.

Cum perveniſſem Treviros, poſtridie proceſſi ad palatium. Egreſſus eſt ad me

(2) *Maximus, qui iratus credebatur percuſſores regredienti Ambroſio immiſſurus, quod ipſius communionem & ipſi communicantium Episcoporum ſit execratus, & verbis durioribus in eum invectus. Paulin. in vit. S. Ambr.*

me vir gallicanus, præpoſitus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiam, quæſivit, num reſcriptum haberem Clementiæ tuæ? reſpondi habere. Retulit, non poſſe me niſi in Conſiſtorio videri. Dixi non eſſe hunc morem ſacerdotalem, certè eſſe aliqua, de quibus ſecretò deberem cum ſuo Principe confabulari. Quid plura? conſuluit eum; ſed eadem referenda credidit, ut liqueret, etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à noſtro munere: ſed me recepto officio non defuturum; gratam mihi eſſe humilitatem in tuo præſertim, &, quod verum eſt, fraternæ pietatis (3) negotio. Ubi ſedit in Conſiſtorio, ingreſſus

(3) *Erga Fratrem tuum Gratianum.*

greſſus ſum, aſſurrexit, ut oſculum daret. Ego inter conſiſtorianos ſteti. Hortari cœperunt alii, ut aſcenderem, vocare ille. Reſpondi ego, quid oſcularis eum, quem non agnoveris? ſi enim me agnoviſſes, non hoc loco videres. Commotus es, inquit, episcope! non, inquam, injuriâ, ſed verecundiâ, quod alieno (4) conſiſto loco. Et primâ, inquit, legatione ingreſſus es conſiſtorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit: vocantis, non ingredientis vitium eſt. Cur, inquit, ingreſſus es? quia, inquam, tunc ut inferiori (5) pacem petebam, nunc ut æquali. Cujus, (6) inquit, beneficio æquali? Reſpondi: Om-

(4) *A ſacerdotali dignitate & munere.*
(5) *Nempe victa a victore.*
(6) *Alterius, ac meo.*

omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum, quod dederat, reſervavit. Ad poſtremum erupit dicens: quoniam me luſiſti, & ille Bauto (7), qui ſibi regnum ſub ſpecie pueri (8) vendicare voluit: qui etiam barbaros mihi (9) immiſit: quaſi ego non habeam, quos poſſim adducere; cum mihi tot barbarorum millia militent, &

(7) *Comes & Magiſter militum Valentiniani, qui anno* 385. *cum Arcadio Theodoſii Auguſti filio conſulatum geſſerat: quem cum adiret Mediolani, ab Auguſtino adhuc Rhetoricæ Profeſſore panegyri publica ornatus eſt. Auguſt. adv. lit. Petil. L.* 3. *c.* 25. *Conf. etiam Valeſius L.*2. *de geſtis vet. Francorum pag.*62. *&c.*

(8) *Valentiniani.*

(9) *Alanos Galliam, & Hunnos Britanniam Belgiumque infeſtaturos; in horum tum manus incidit Urſula ejusque ſodales a Maximo e Britanniis ad militum nuptias accitæ.*

annonas à me accipiant. Quod ſi ego tunc temporis, quando veniſti, non fuiſſem retentus (10), quis mihi obſtitiſſet & virtuti meæ? ad hæc ego leniter: non opus eſt, inquam, ut commovearis, cum nulla cauſa ſit commotionis; ſed patienter audias, quæ referantur iſtis. Propterea & ego veni, quia prima legatione, dum mihi credis, per me deceptum te eſſe aſſerebas. Glorioſum mihi eſt & hoc pro ſalute pupilli imperatoris: quos enim Episcopi magis quam pupillos debemus tueri? ſcriptum eſt enim: judicate pupillo; & juſtificate viduam; & eruite injuriam accipientem. Et alibi: judicis viduarum & Patris Orpha-

(10) *Tua et Bautonis fraude.*

phanorum. Tamen non exprobrabo beneficium meum Valentiniano. Ut verum loquar, ubi ego tuis legionibus obſtiti, quominus influeres in Italiam? quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? (11) an vero corpore meo clauſi tibi alpes? utinam hoc meum eſſet, objectionem non timerem, non vererer criminationes tuas. Quibus promiſſis luſi te, ut paci acquiesceres? nonne intra Gallias (12) juxta urbem Monguntiacum Comes Victor (13) occurrit mihi (14), quem direxiſti, ut pacem rogaret? in quo ergò te fefel-

(11) *Copiarum militarium.*

(12) *Quas olim Rhenus à Germaniis dividebat.*

(13) *Ad Valentinianum à te Legatus miſſus.*

(14) *Iter ad te Treviros tendenti.*

fefellit Valentinianus, qui prius pacem à te rogatus eſt, quam poſtularet? in quo te fefellit Bauto, qui devotionem imperatori exhibuit ſuo? an quia principem ſuum non prodidit? in quo ego te circumſcripſi? qui, ubi primum veni, cum diceres, quod Valentinianus ad te quaſi filius ad Patrem venire deberet, reſponderim, non eſſe æquum, ut aſpero hyemis tempore puer (15) cum matre viduâ penetraret Alpes: ſine matre autem tanto itineri dubiis rebus committetur. De pace nobis legationem commiſſam, non de adventu ejus promiſſionem: ſpondere id nos non potuiſſe, certum eſt, quod mandatum non erat; me certe nihil ſpopondiſſe, adeo ut di-

ceres:

15) *Annorum ſeptendecim.*

ceres: exſpectemus, quid Victor reſponſi referat. Illum autem liquet, me retento, perveniſſe Mediolanum, negatumque ei, quod poſtulabat. De pace tantum conſpirare ſtudia, non de adventu Imperatoris, quem moveri non oporteret.

Præſens eram, ubi Victor rediit. Quomodo ergo revocavi Valentinianum? legati iterum miſſi (16) ad Gallias, qui ejus adventum negarent: apud Valentiam (17) Gallorum me repererunt. Milites utriusque partis, qui cuſtodirent jugum mon-

(16) *A Valentiniano.*

(17) *Ad Rhodanum. Hinc patet, alia via rediiſſe Ambroſium, ac venerat Treviros. Metim enim videtur, dein Biſuntium, Lugdunum, & Valentiâ Auguſtam Taurinorum iter feciſſe.*

montium, (18) offendi revertens. Quos ego tuos revocavi exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immiſit barbaros Bauto Comes? (19) & quid mirum, ſi hoc Bauto feciſſet, transrhenanus genere, cum tu miniteris imperio romano barbarorum auxilia, & turmas translimitanas, quibus commeatus provinciarum tributa ſolvebant (20)? vide autem, quid interſit inter tuas minitationes, & Valentiniani Auguſti pueri clementiam, ac manſuetudinem. Tu flagitabas, quod barbarorum ſtipatus agminibus Italiæ te infunderes, Valentini-

(18) *Alpium.*

(19) *Cum Gratianus potius eos tibi immiſerit.*

(20) *Sive ex tributis provincialium ſolvebantur.*

tinianus Hunnos (21) atque Alanos (22) appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit (23). Quid habet invidiæ, ſi Bauto barbaros cum barbaris fecit decernere? quoniam, dum tu militem romanum occupas, dum is (24) adverſum ſe utrinque prætendit, in medio romani imperii ſinu Juthungi (25) popu-

(21) *Gentem, quæ ultra paludes Mœoticas glacialem oceanum accolebat, quæque omnem feritatis modum excedens per rapinas & Cædes finitimorum in Achaiam usque pervenerat, primum ſub Valente circa A.* 376.

(22) *Quos Scythiam Europæ inhabitantes, à ſe victos ſibi Hunni junxerant; Conf. Ammian. L.* 31.

(23) *In Rhetiam, contra Juthungos.*

(24) *In Legiones Valentiniani & Maximi diſtractus.*

(25) *Alemannorum Pars, Italicis conterminans tractibus, teſte Ammian. L.* 17.

populabantur Rhetias (26), & ideo adverſus Juthungum Hunnus accitus eſt. Idem tamen, quia te finitimo proterebat Alemanniam, & jam vicinia mali urgebat Gallias, (27) coactus eſt triumphos ſuos deſerere, ne tu timeres. Confer utriusque factum. Tu feciſti incurſari Rhetias, Valentinianus ſuo tibi auro (28) pacem redemit.

Aſpice illum quoque (29), qui tibi ad dexteram aſſiſtit, quem Valentinianus, cum poſſet ſuum dolorem ulciſci, honoratum ad te redire fecit. Tenebat eum in ſuis terris, atque in ipſo nuntio necis fraternæ frænavit impetus: nec

tibi

(26) *Locus hic & ſuperior pag.* 51. *ſeſe viciſſim illuſtrant.*
(27) *Tuas.*
(28) *Hunnis dato.*
(29) *Fratrem tuum Marcellinum.*

tibi vicem, (30) etſi non parilis dignitatis (31) ejusdem tamen neceſſitudinis (32), retulit. Confer ergo, te judice, utriusque factum. Ille tibi fratrem tuum viventem remiſit: tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adverſum ſe auxilia non negavit? ſed vereris, ne exuviarum reditu renovetur militibus dolor: hoc enim allegas. Quem viventem deſeruerunt (33) eum defendent peremptum? quid eum mortuum times, quem occidiſti, cum poſſes ſervare? hoſtem, inquis, meum peremi: non ille tuus hoſtis,

(30) *Hunc occidendo retulit.*
(31) *Imperatoriæ cum Gratiano.*
(32) *Fraternæ tecum, ac Gratiani cum Valentiniano.*
(33) *Deſertionem hanc memorat Zoſim. L. 4. §. 35.*

ſtis, ſed tu illius. Ille jam non ſentit defenſionem. Tuam cauſam conſidera: ſi quis adverſum te hodie imperium in his partibus uſurpandum putet, quæro utrum te hoſtem illius dicas, an illum tibi? niſi fallor, uſurpator bellum infert, imperator jus ſuum tuetur. Ergo quem non debueras occidere, ejus reliquias negas? habeat Valentinianus imperator vel fratris exuvias pacis tuæ obſides. Et quomodo allegabas, quod eum non mandaveris occidi, quem prohibes ſepeliri? poterit igitur credi, quod ei non invideris vitam, cui etiam ſepulturam invides?

Sed ad me revertar. Audio te queri, quod ſe ad Theodoſium imperatorem potius (34) contulerint, qui ſunt cum

(34) *Quam ad te.*

cum Valentiniano imperatore; quid igitur futurum ſperabas, cum tu refugientes (35) ad pœnam poſceres, captos necares, Theodoſius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? quos, inquit, occidi? reſpondi Balionem; & quem virum? quem bellatorem? hæccine fuit juſta cauſa exitii, quod imperatori ſuo fidem ſervavit? non ego, inquit, eum juſſi occidi. Reſpondi: hoc audivimus, quod occidi juſſus ſit: ſed, inquit, ſi ipſe ſibi vim non intuliſſet, juſſeram eum deduci Cabillonum (36) & ibi vivum exuri. Reſpondi: Ergo propterea & illud creditum eſt, quod eum occideris. (37) Quis autem ſibi (38) parcendum putaret, cum occiſus ſit bellator ſtrenuus, miles fidelis, comes utilis? ita tum diſceſſi, ut ſe tractaturum (39) diceret. Poſtea, cum videret, me abſtinere ab Epiſcopis (40), qui communicabant

(35) *Tuam militiam.*

(36) *Ad Ararim in hodierna Burgundia.*

(37) *Nempe metu tormentorum adigendo, ut ſibimet mortem inferret.*

(38) *Suæque vitæ a te.*

(39) *De meæ legationis objecto cum Conſtorianis.*

(40) *Ithacio communicantibus, qui à Maximo Pris-*

ei, vel qui aliquos, devios licet à fide, ad necem petebant, commotus eis, juſſit me ſine mora regredi. Ego vero libenter, etſi me plerique inſidias evaſurum non crederent, ingreſſus ſum iter, hoc ſolo dolore percitus, quod Hyginum (41) Epiſcopum ſenem in exilium duci comperi, cui nihil jam, niſi extremus ſupereſſet ſpiritus. Cum de eo convenirem comites ejus, ne ſine veſte, ſine plumatio (42) paterentur extrudi ſenem, extruſus ipſe ſum. Hæc eſt expoſitio legationis meæ. Vale imperator! & eſto tutior adverſus hominem, pacis involucro bellum tegentem.

Priscillianum hæreſiarcham cum ſociis ſupplicio mortis affici curavit. Vide Severum L. 2. hiſtor. ſacræ.

(41) *Quis hic fuerit, haud facile colligi poteſt, ait Baronius n. 55. ad A. 387. ſed ſuſpicatur, eundem forte eſſe cum eo, quem Severus Adiginum nominat epiſcopum Cordubenſem, qui primus ſcelera Priscilliani detexit.*

(42) *Penula, ab opere plumatili ſic dicta.*

